

LUDOVICI WIESE

COMMENTATIO

DE

VITARUM SCRIPTORIBUS ROMANIS.

Ankündigungsschrift

der

am 30 September 1840

zu haltenden

öffentlichen Prüfung sämmtlicher Classen

des

Königl. Joachimsthalschen Gymnasiums,

zu welcher ergebenst einladet

der Director

Dr. AUGUST MEINEKE.

Berlin.

Gedruckt in der Druckerei der Königlichen Akademie der Wissenschaften.

1840.




J. T. Voemel,
Rect. & Prof.
Frankfurt.

LUDOVICI WIESE

COMMENTATIO

DE

VITARUM SCRIPTORIBUS ROMANIS.


J. J. Voemel,
Rect. & Prof.
Frankfurt.

LUDOVICI WIESE

COMMENTATIO

DE

VITARUM SCRIPTORIBUS ROMANIS.

„Contemtu famae contemnuntur virtutes." Tac.

In literarum Romanarum cognitione uti nemo potest recte versari, nisi qui ad Graecorum praestantiam eas exigat, ita ratio non est alia accommodatior, qua quid Romani ingenii in aliquo literarum genere proprium et insigne fuerit, perspiciatur. Nam etsi Ciceronem quidem cupidius suae gentis causam egisse intelligimus, quam omnia per se Graecis sapientius invenisse, ab iis autem accepta meliora fecisse non veretur profiteri: effecerunt tamen communes populi mores et instituta publice recepta sensimque inveterata, ut in quibus artium disciplinis prae ceteris elaborarent Romani, nativam quandam indolem exprimerent, possentque aliquam cum Graecis contentionem suscipere. Neque vero ullum genus est, in quo excolendo reipublicae temporibus magis sui tantum similes extiterint, quam historia. In qua ad vitarum memoriam conscribendam frequentissima studia collata esse, manifesto demonstrant vestigia per omnem historiae Romanae perpetuitatem conspicua. Contra Graecarum literarum probatissimis temporibus vix uni alterive suae aut alienae vitae commentariis scribendis tantam curam susceptam legimus, quae ad posteritatem pertineret. Vergente Graecorum aetate plures fuerunt (¹), praesertim ex quo Alexandri Magni sive gloria sive munificentia hominum ingenia excitavit, ut certatim eius res gestas literarum memoria prosequerentur. Plutarchum enim, copiosissimum vitarum scriptorem, cuius praecipue arte et diligentia hoc genus apud Graecos censetur, neque liberam florentemque patriam vidisse et ad opus aggrediendum Romanorum quoque veterum admiratione impulsum, in conficiendo ex eorum rationibus et exemplis pependisse constat. Apud Romanos vero longa et continua est horum scriptorum series, quae ante optimam literarum aetatem incipiens usque ad Imperatorum quarti saeculi panegyricos porrigitur. Nam inde a Gracchorum tempore admodum paucos fuisse arbitror, qui quidem vita paulo notabiliore supra vulgus escendissent, quin suae virtutis monumentum extare vellent. Eiusmodi autem libris conscribendis aut ipsi operam dabant summi homines, imprimis qui rebus publicis administratis in otia recesserant, aut amicis utebantur rerum actarum testibus laudatoribusque; neque desunt in his illustrissima pietatis exempla. Quod librorum genus quum magnopere adamassent Romani homines, facile inventi sunt, qui multitudinis studio inservirent: Cornelium Nepotem, Suetonium, alios, priorum exemplum plures

(¹) v. quos enumerat Wower. de polymath. 12, 8. De Jonis poetae eorumque similibus commentariis infra dicetur.

vitas in unum corpus coniungendo secutos videmus; sed frequentissima eius consuetudinis vestigia apparent in fontes scriptorum Historiae Augustae inquirenti.

Horum igitur librorum quum infinita esset multitudo, plurimi interierunt, neque in iis, qui ad nostram aetatem pervenerunt, ullus est, qui arte aliqua commendetur, praeter unum Corn. Taciti Agricolam. Sed tamen operae pretium duxi, quae in veterum monumentis reperiuntur vestigia, paucis recensere, et singulas, per quas hoc historiae genus paulatim excultum sit, aetates describere, expositis antea causis gravioribus, cur eiusmodi potissimum scriptis tanta apud Romanos dignitas fuerit.

Ac prima quidem causa quoniam ex eo, quod Romani ingenii proprium fuit, repetenda est, Graecorum indole in comparationem adhibita, hanc maximam diversitatem fuisse cognoscimus, quod Graeci naturam ducem in universa vita sequi satis habebant, Romanis nihil non ad certas consiliorum rationes revocare ad easque se totos componere cupientibus. Haec differentia non solum in rebus ab utroque populo gestis omnique fortuna, verum etiam in artibus literisque tractandis, denique in publica et privata vita moderanda cernitur. Itaque plurimarum literarum naturalis progressus, atque iuvenilis illa artium aetas, quae in Graecis temporum beneficio beatissima, ingeniorum ardorem effudit, Romanis omnino negata fuit ([1]); neque contigit iis unquam, ut ex his et naturae et publicarum rationum vinculis sese liberarent. In scribendo autem quum Graeci rem ipsam spectarent, quae et qualis esset, Romani quid efficeret ea in legentium animis magis curare consueverant: unde accidit, ut Graecorum scripta, qua sunt naturae simplicitate et veritate, lectorem facile capiant variisque modis commoveant, Romani quam vim ratione et artificio captant, saepenumero non assequantur ([2]). Atque consentaneum est, qui in hunc modum agant, eosdem id maxime studere, ut praeter ipsam rem, et si fieri possit, aliquanto etiam magis eluceat persona eius, cuius opera efficitur. Illud autem Romani ingenii proprium studium fuisse itidem historiae scriptione comprobatur. Historiam enim proxima cognatione cum ea arte iunctam, atque adeo eius legibus adstringendam esse statuerunt, quam non solum omnium efficacissimam in hominum animos videbant esse, sed quae etiam ipsius auctoris summam dignitatem requirit atque ostentat. Et quum praeteriti temporis memoria ad publicas rationes semper accommodaretur, fieri non potuit, quin illud adiumentum ascisceret, cuius in vita publica plurimus usus erat. Itaque historia cum eloquentiae studiis Romae pariter progressa est. Hinc nata Ciceronis de vetustioribus monumentis iudicia, quae omne hoc opus oratorium ab eo habitum esse docent ([3]). Non accipiendum id est de concionibus illis et hortationibus rei narrationi vulgo insertis, quam consuetudinem utriusque linguae auctoribus com-

---

([1]) v. Hor. epp. 2, 1. 93. sqq.

([2]) Bernhardy Röm. Lit. p. 12. Manso verm. Schriften p. 43. sqq.

([3]) Cic. de legib. 1, 2. 3. de or. 2, 12. 13. Brut. 10. cf. Ulrici antike Historiogr. p. 111.

munem fuisse notum est, neque Romanis quam Graecis usitatiorem: imo universa orationis forma ac species ita nos iudicare cogit. Admiramur quidem in principibus Romanarum rerum sriptoribus aut eloquendi ubertatem et amplitudinem, aut argutam brevitatem verborum delectu insignem, tenet nos gravitas illa excelsi animi index: at vero si Graecos confers paribus virtutibus notabiles, eandem dignitatem ac vim, sed minus arcessitam elaboratamque, denique maiorem simplicitatem et inaffectatam quandam dulcedinem animadvertes. Quanto autem Graecis Romani studiosiores fuerint in rei commemoratione ipsius simul auctoris praedicandi, ex eorum maxime libris perspicitur, qui suas ipsi res gestas memoriae mandaverunt. Quo nomine quantum discrimen intersit inter Xenophontem et Caesarem, facile cognoscitur. Ad easdem causas referenda est epistolarum quoque frequens confectio ([1]), eo consilio inter familiares saepe instituta, ut postmodo in publicum ederentur. Graeci moris id ante deteriorem literarum aetatem nunquam fuisse, non est quod demonstrem.

Ex hoc igitur Romanorum studio apta est principalis causa, cur memorabilium vitarum famam interire noluerunt; siquidem laudis ac gloriae semper prae ceteris gentibus appetentissimi fuerunt. Sed quamvis non maligni suae quisque virtutis aestimatores essent, tantum aberat, ut iis quae priores in rempublicam bona contulissent, inviderent, ut summis laudibus eos atque aemulatione celebrare cuperent. Quamobrem proxime accedit altera causa, ex pietatis sensu repetenda, quo maiorum memoriam sanctissime conservare studebant. Quodsi haec historiae munere inclusa esse volebant Romani, sequitur ut omnino eam rerum gestarum cognitionem ingenio atque moribus eorum optime convenisse dicamus, quae vitae usum exemplorum salubritate et iuvare et illustrare posset: nam solius scientiae consilium in literis minime probabant. De his igitur tribus rationibus paulo copiosius nunc exponendum est.

Priores quas posui causae saepius una valuerunt ad propagandam bene factorum memoriam: non magis enim populi honori, quam communi posterorum utilitati consulere sibi videbantur, qui scriptis aut imitatione magnorum virorum nomen et consilia ab oblivione defendere studebant, ut immortalitas quaedam esset eximiae virtutis. Quare quum vel hinc praesidium quaereretur ad civitatem bene constituendam atque firmandam, apparet quaestionem nostram ex parte quadam ad universam reipublicae Romanae historiam pertinere. — Multus est Cicero in praedicanda publica gloriae utilitate: principes civitatis, ait, alendos esse gloria, et sola gloriae cupiditate ductos maiores multa mira atque praeclara fecisse, nec esse virtutis ullam aliam mercedem ([2]). Locupletissima igitur spectatae virtutis documenta parabant eadem diligentia, qua omnes res suas privatas in rationes referre solebant. Et ex eadem cura, ne graviorum

---

([1]) cf. Fronto Nieb. p. XXVII-XXX.

([2]) v. de rep. fragmm. l. 3. 4. 5.

rerum et publice actorum memoria cum posterorum incommodo interiret, multiplex illa fastorum, commentariorum, annalium perscribendorum consuetudo nata est; quae monumenta scriptoribus inter praecipuos historiae fontes postea fuerunt (¹). Ergo sicut rerum gestarum annales publice scribebantur ad memoriam priorum temporum in civitate conservandam, similiter singulae gentes et familiae suos conficiebant annales, ne oblivio eorum esset, quae quisque sapienter ac fortiter egisset (²): in qua re tanta diligentia eos usos esse accepimus, ut secuti videantur id, quod magnificum ac praeclarum dicit Cicero „clarorum virorum atque magnorum non minus otii quam negotii rationem extare oportere." Mos erat antiquissimus, mortuorum virtutem *laudationibus funebribus* cohonestare, quarum ratio vitae peractae descriptionem poscere videbatur: atque paulatim etiam literis consignatae vetusti aevi certa monumenta habebantur, quamvis ambitiosa posterorum pietate evenisset, ut eiusmodi laudibus historia rerum Romanarum admodum mendosa fieret (³). Sed ad eandem curam referendus est imaginum, elogiorum, stemmatum (⁴) usus: probabant enim, certa decora, singulares virtutes universae alicui genti per saeculorum diuturnitatem proprias ac peculiares fuisse. Sicut autem ab annalibus interpolandis non abstinuerunt posteri, ut ex eorum vetustate erui posset memoria integrae nobilitatis (⁵), ita *stemmata* quoque in gratiam certorum hominum in nobilissimas gentes penetrantium falso conscripta sunt (⁶). Abiit res in religionem quandam, ne unquam tempus fuisse videretur, quum aut respublica tenuis aut gentium auctores ignobiles essent; sed crevit ista vanitas, quo magis ab antiquitate remoti eius cognitione carere coeperunt (⁷). Ciceronis aevo virorum nobilium multorum vera progenies iam plane incerta erat; sed tunc ipsum cum aliis Atticum imprimis illustrandae huic maiorum memoriae operam dedisse refert Corn. Nepos: „sic familiarum originem subtexuit, ut clarorum virorum propagines possimus cognoscere; fecit hoc idem separatim ... ut M. Bruti rogatu Iuniam familiam a stirpe ad hanc aetatem

---

(¹) v. Falster memor. obscur. p. 19. sqq. Lips. excurf. ad Tac. Ann. 5, 4. — Magistratuum commentarii a privatorum hominum facile distinguuntur: sed quos Cicero nonnunquam de poetarum aetate commentarios antiquos testimonii loco adhibet, eos magistratus post ludos editos consignasse verisimile est; ex his igitur Terentianas didascalias ductas putat Madvig. dissert. de L. Attio, opusc. p. 109.

(²) v. Cic. de offic. 1, 17. 6. Brut. 16.

(³) Liv. 8, 40. Cic. Brut. 16. ibique Bernhardy. Perizon. animadv. hist. c. 6. p. 214. ed. Harl. Niebuhr Röm. Gesch. 2, p. 5. 516. — Sub Imperatorum dominatione hanc quoque vocem conticuisse, non temere suspicamur. cf. Dial. de or. c. 13. cf. Walch. Tac. Agr. XLI.

(⁴) Eichstädt de imaginib. p. 112. 128. Bernhardy Röm. Lit. p. 75.

(⁵) Cic. pro Mur. 7. Liv. 7, 9: „quaesita propriae familiae laus leviorem facit auctorem Licinium."

(⁶) Plutarch. Num. 1. Perizon. l. l. p. 217. sqq.

(⁷) Niebuhr Röm. Gesch. 2. p. 472. Cic. ad Att. 6, 1. 7. Perizon. l. l. p. 33.

enumeravit, notans qui, a quo ortus, quos honores quibusque temporibus cepisset. Pari modo Marcelli Claudii, Marcellorum, Scipionis Cornelii et Fabii Maximi, Fabiorum et Aemiliorum quoque; quibus libris nihil potest esse dulcius iis, qui aliquam cupiditatem habent notitiae clarorum virorum" (1). *Imaginibus* vero tantam dignitatem fuisse constat, ut nisi qui superiorem magistratum gessisset earum ius non haberet, ac nobilitas deinceps ab imagine proficisceretur. Quare qui maiorum suorum imagines habebant, ii nobiles, qui suas tantum, ii novi, qui nec maiorum nec suas, ii demum ignobiles appellabantur (2). Amplificabant imaginum decus *elogia* sive tituli, i. e. honorum et praeclare factorum subscripti indices. In iis componendis eiusdem Attici operam videmus fuisse: „namque versibus, qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi praestiterunt, exposuit ita, ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum non amplius quaternis quinisve versibus descripserit" (3). Similiter Varro in eo libro, quem inscripserat „Hebdomades seu de Imaginibus" clarissimorum virorum laudes collegerat (4). Sed eiusmodi versus quum tanto post adderentur, copiam fecerunt posterorum cupiditati maiorum honores in maius extollentium; haud raro enim deprehensi sunt adulterati imaginum tituli (5).

Haec autem et alia eiusdem generis instituta eo diligentius colebant homines, quo magis non inani gloriae studio, sed virtutis amori ea deberi sibi persuaserant. Quoniam enim nullius virtutis apud Romanos laus erat, quae non ad rempublicam pertineret, factum est, ut honori et gloriae proxima cum ipsa virtute necessitudo statueretur: et quum virtuti nomen non esset magis proprium quam honestas (6), facile adducimur, ut omnem iis virtutem ab honore repetitam fuisse credamus. Namque per honestatem velut per vim suam vitalem unamquamque virtutem vigere existimabant, at turpitudinem et flagitium esse, quicquid honestatem dedecoraret. In virtutes igitur aut flagitia non referenda putabant, quae extra honorem posita essent. Tacitus etiam, quo acriorem in virtutis veritate asserenda inter veteres non novimus, ad hanc rationem omnem in eo genere loquendi usum formavit. Atque in summis meritis, quae quis gloria et auctoritate i. e. belli pacisque artibus ad patriae salutem contulisset, ho-

---

(1) Nep. vit. Att. 18. cf. Madvig. Cic. de fin. p. 260.

(2) Eichstädt l. l. p. 20. De frequenti imaginum usu v. Polyb. 6, 53. Plin. N. H. 35, 2. 3. ibiq. Hard. Becker Gallus 1, 135. 2, 286.

(3) Nep. l. l.

(4) Symmach. ep. 1, 4: „Ille pauperem Curium, sed divitibus imperantem, ille severos Catones, gentem Fabiam, decora Scipionum totumque illum triumphalem senatum parca laude perstrinxit." — Aequalium in hac re inanem fastum ridet Iuvenalis sat. 8. eos exagitans, qui alienis meritis superbientes nihil ipsi in patriam ornandam conferant.

(5) cf. Perizon. l l. p. 311.

(6) Cic. de off. 1, 27.

norificentius nomen non habebant, quam viri clari et clarissimi. Adeo usque virtus cum gloria confusa ([1]), ut separari non possent, essetque in ea coniunctione finis bonorum posita. Quid? quod in ea animi immortalitate, quae nominis perpetua laude continetur, acquiescendum sibi putabant ([2]). Tiberio hoc in summis votis fuit, ut, quando ex vita concessisset, cives cum laude et bonis recordationibus facta atque famam nominis sui persequerentur ([3]). Praeclara igitur atque homine Romano digna vox, quam in extrema soceri laude Tacitus collocavit: „Agricola posteritati narratus et traditus superstes erit." Sed idem paulo ante professus erat, *aemulatu* decorandam esse defuncti memoriam, eum verum honorem esse, eam coniunctissimi cuiusque *pietatem*: qua sententia ad alteram rei propositae causam opportune deducimur.

Profecto nullus unquam fuit populus, in quo tanta esset reverentia maiorum, sive domesticas res spectas, sive publicas. Non esse putabant, unde et sibi et patriae salutem prudentius quaererent, nisi sollicite tuenda ea hereditate, quae patrum factis et moribus ad se pervenisset: ad eorum auctoritatem et normam dirigendam esse omnem animi acuendi atque universae vitae instituendae rationem. Quid multa? omnem praesentis temporis usum quam maxime facere poterant, ad praeteriti aevi memoriam accommodabant.

Hoc loco ut Graecos rursus in contentionem vocem: neque pari gloriae cupiditate ([4]), neque pietatis in maiores sensu caruerunt. At quoniam benigniore natura utebantur, tantopere in utraque cura sibi moliendum non esse videbant. Honorificam nominis memoriam magni aestimabant, non anxie quaerebant. Atque tantum abfuit, ut posteris alicuius virtutis praeclara exempla deessent, ut quid sit maius in Graecorum historia, quam singulorum virorum magna ingenia et eximiae virtutes, reperiri nequeat. Verum ea fuit Graecorum secura quaedam felicitas, ut quae bona beatae naturae beneficio sponte sibi attributa sentirent, eorum assidua cura se supersedere posse existimarent. Propterea inter Graecos singuli viri excelluerunt, Romanis id magnopere agentibus, ut per universam aliquam gentem praestantiae laus et similitudo pertinere videretur. Et Graecorum magnitudo quum magis naturae beneficio, Romana virtuti, animi voluntati ac constantiae, denique patriis institutis deberetur, facile intelligitur his ut magna suorum exempla assidue et spectarent et imitarentur magis necessarium fuisse. Graecis suorum admiratio et amor, Romanis cognitio et studium. Quin apud Graecos ne invidiam quidem effugiebat, si quis virtutis alicuius studio ita se dedidisset,

---

([1]) Cic. Tusc. 3, 2. 5, 15. 16.

([2]) Cic. Tusc. 1, 15. — Scio neque in Romanis deesse, qui de contemnenda gloria graviter disputent: at multum aberat, ut cum eiusmodi philosophia ipsa summorum hominum vita congrueret.

([3]) Tac. Ann. 4, 38.

([4]) v. Hor. A. P. 324.

ut supra civitatis modum excedere videretur. Odiosa illis omnis exsuperantia virtutis, neque Ephesiis solum ea mens, ut dicerent: „nemo de nobis unus excellat; sin quis extiterit, alio in loco et apud alios sit" (¹).

Sed redeo unde digressus sum. Romani in pietate erga maiores colenda et contemplatione vitae per virtutem actae quum honestissimum solatium (²), tum rerum bene gerendarum utile incitamentum (³) inesse rati, plurima laude hanc utilitatem efferunt: atque adeo pristini temporis reverentiam in quandam iuventutis disciplinam converterunt. Hoc Polybius in optimis reipublicae Romanae institutis numerat: quem enim intuenda maiorum virtute non imbui generoso spiritu, non impelli ad laudem, aut tali spectaculo quid pulchrius obtingere cui posse (⁴)? Nimirum id maxime veteres Romani in pueris erudiendis spectabant, ut patriae, cuius se quondam cives fore scirent, amorem animis mature imbiberent eiusque adiuvandae et amplificandae acre studium. Eo dirigebatur quicquid sanxerat patria consuetudo. Propterea vel in conviviis prisci moris fuit „pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum" (⁵). Idem convivas in epulis fecisse ex Catonis Originibus refert Cicero Tusc. 1, 2. add. de legib. 2, 24.

Iam vero quum respublica ab exiguis profecta initiis ac civium fortitudine et constantia omnem adversam fortunam eluctata ad summam imperii magnitudinem et firmitatem evecta esset, exemplorum in omni virtutis genere magnam copiam habuit. Nam quod in singulis hominibus usu venire solet, ut gravissimis casibus et difficultatibus conflictati animi robur comprobent et augeant, idem, si ulla unquam civitas, certe Romana experta est. Quare ad extremam usque imperii Romani memoriam prudentioribus morem fuisse videmus, si quando res gravior agenda esset, maiorum exempla consulendi. Sic Alexandrum Severum Ael. Lampridius (c. 16.) narrat semper requisivisse, quid in talibus causis, quales in disceptatione versarentur, veteres imperatores fecissent. Ex hoc consilio libri de summorum hominum dictis factisque memorabilibus, de quorundam augusta progenie, multique alii originem habuerunt; quorum quum plures, iuventutis imprimis usui destinati, eodem titulo *de viris illustribus* inscripti essent, variae de tempore et de auctoribus controversiae ortae sunt. Inter hos autem scriptores, quorum opera iuniorum aetatem spectabat, quantum coniicere licet, etiam Corn. Nepos, qualem nunc quidem habemus, Aur. Victor, Val. Maximus, Fl. Alphii Aviti

---

(¹) Cic. Tusc. 5, 36. cf. K. F. Hermann Syst. d. Plat. Philos. p. 205. sqq.

(²) Tac. Ann. 15, 63. add. Germ. 27.

(³) Scipionis ap. Sallust. Jug. c. 4. vox celebratur: memoria rerum gestarum flammam egregiis viris in pectore crescere neque prius sedari, quam virtus eorum famam atque gloriam adaequaverit.

(⁴) Polyb. hist. 6, 53.

(⁵) Varro de vita P. R. ap. Non. v. assa voce.

libri Excellentium ([1]) et similes referendi sunt. Neque Plutarcho potius ullum consilium fuisse scimus quam mores emendandi, animos ad magna facinora acuendi. Unde fit, ut cum maiore iucunditate quam fide legatur.

Sed hac ipsa re Plutarchus ad rationes Romanorum se accommodavit, qui, quod tertium supra in hoc argumento considerandum posui, historia idoneam virtutis publicae disciplinam contineri putabant. Hunc eius colendae finem voluerunt esse, ut vitae magistram praestaret. Itaque Tacitus praecipuum munus historiae esse ducit, ne virtutes sileantur utque pravis dictis factisque ex posteritate et infamia metus sit ([2]). In quo consilio persequendo fieri non potuit, quin singulorum potissimum hominum ex reliqua multitudine excellentium ratio haberetur. Convenit, quod Livius in operis praefatione suadet: „ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quae vita, qui mores fuerint, per quos viros quibusque artibus domi militiaeque et partum et auctum imperium sit ... hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri: inde tibi tuaeque reipublicae quod imitere capias; inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites." Et Dionysius Halicarn. Antiquit. Rom. prooem. 1, 6: ex historia accurate scripta duas res evenire optimas et aequissimas *τοῖς μὲν ἐκπεπληρωκόσι τὴν ἑαυτῶν μοῖραν ἀνδράσιν ἀγαθοῖς, δόξης αἰωνίου τυγχάνειν, καὶ πρὸς τῶν ἐπιγιγνομένων ἐπαινεῖσθαι, ἃ ποιεῖ τὴν θνητὴν φύσιν ὁμοιοῦσθαι τῇ θείᾳ, καὶ μὴ συναποθνήσκειν αὐτοῖς τὰ ἔργα τοῖς σώμασι· τοῖς δὲ ἀπ᾽ ἐκείνων τῶν ἰσοθέων ἀνδρῶν νῦν τε οὖσι καὶ ὕϛερον ἐσομένοις μὴ τὸν ἥδιϛόν τε καὶ ῥᾷϛον αἱρεῖσθαι τῶν βίων, ἀλλὰ τὸν εὐγενέϛατον καὶ φιλοτιμότατον, ἐνθυμουμένοις ὅτι τοὺς εἰληφότας καλὰς τὰς πρώτας ἐκ τοῦ γένους ἀφορμάς, μέγα ἐφ᾽ ἑαυτοῖς προσήκει φρονεῖν καὶ μηδὲν ἀνάξιον ἐπιτηδεύειν τῶν προγόνων.* Quorum locorum sententiam historiarum Romanarum haud exigua pars manifesto confirmat. Nam in singulorum virorum consiliis factisque narrandis versantur plurimae, ut hoc quidem respectu mirationem minime habeat, quod nostro tempore extitit, qui gravissimam reipublicae aetatem sola vitarum nobilissimarum enarratione complecteretur. Tametsi enim penes populum reipublicae arbitrium est, tamen singuli vel potentia suisque mentis viribus atque fortuna, vel civium fide ac gratia eximii aetatis suae ingenium repraesentabunt, praesertim quum procedente tempore civitas in factiones digreditur ([3]); quarum qui duces noverit, propemodum omnes novit. In eandem sententiam Tacitus Ann. 4, 33. scripsit: „olim plebe valida, vel quum patres pollerent, noscenda vulgi natura et quibus modis temperanter haberetur, senatusque et optimatium ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum et sapientes credebantur."

([1]) cf. Burmann Anth. Lat. 2. p. 730. Crinitus de poetis Lat. 5, 81.

([2]) Tac. Ann. 3, 65.

([3]) v. Drumann Röm. Gesch. t. 3. praef. p. IV. add. t. 1. p. V.

Itaque quem vitae usum et rationem ingenio suo duce Romani susceperant, ea hoc rerum memorandarum genus requirere videbatur. T. Livius quoque cum magna dicendi arte consilium suum secutus, dum praeclara maiorum exempla ex singularum familiarum historia desumta (¹) aequalibus proponit, patriae virtutis alendae materiam commodissimam, simul universae reipublicae Romanae vitam enarrat, velut viri imaginem exprimens id solum spectantis, ut fortiter et strenue agendo firmum rerum suarum statum condat (²). Atque Sallustius, praecipue in Catilina ad singularis vitae exponendae formam proxime accedit, hoc Livio praestantior, quod in morum factorumque causis detegendis et explicandis accuratiorem diligentiam collocat. Similiter alias res, quae nobis continuam disputationem desiderare videntur, a veteribus singularum vitarum notatione comprehensae sunt; cf. Suet. de illustr. gramm. c. 1-5. de clar. rhet. c. 1.

Satis patere arbitror, Romanos ex necessitate quadam omnem historiae conscribendae artem eo direxisse, ut singularum vitarum rerumque laudabiliter gestarum memoria traderetur. Inest in eo studio et iuventutis quoddam documentum: qua aetate qui constituti sunt sive populi sive singuli homines, nulla re audienda magis delectantur, quam singulorum facinorum rerumque a viris fortibus gestarum narratione: inde vel admiratione vel aemulandi studio animus perfunditur; accedit quod, quo propius et apertius gloriose facta conspiciuntur, eo citius spem excitant similis laudis adipiscendae, et fere proximorum adversis casibus ipsi quid fugere debeant homines facillime docentur. Interim adolevit humanum genus ad maturiorem aetatem: ac nobis ad liberiorem humanitatem eruditis neque illa sola virtus est, quam respublica requirit, et aliae potius quaeruntur specie sua et splendore minus commendatae. Praeterea quoniam christiana religio non tam patriae, quam humanitatis communione homines inter se devinctos esse docet, rerum humanarum cognoscendarum studium ex veterum angustis finibus in patentiorem campum evocatum est. Quippe eam historiam, quam universam nos vocamus, antiquis ignotam fuisse scimus (³); neque in Romanorum literis ante Trogum Pompeium fuit, qui in exterarum nationum historiam inquireret. Iidem quum praeter sui imperii potestatem et amplitudinem nihil magnopere sibi curandum existimarent, ne Graecorum quidem instituta ac mores satis intellexerunt, omissa plerumque causarum reconditiorum investigatione. In praeteriti temporis memoria disciplinam volebant esse, non scientiam et artem. Quamobrem quum omnis historiae ratio antea ad aequalium vel posteritatis publicum usum revocaretur, Imperatorum demum aevo,

---

(¹) Vopisc. Firm. 6: „*Livius* et *Sallustius* tacent res leves de iis, quorum *vitas* scribendas arripuerunt."

(²) cf. Ulrici l. l. p. 121.

(³) cf. Diodor. Sic. praef. 1, 3. add. Ulrici l. l. p. 191.

quando iam respublica nulla erat, aut doctrinae ostentandae causa, aut in hominum vulgarium iucunditatem libri historici scribi coepti sunt (¹).

Ad ipsorum nunc scriptorum commemorationem accedenti mihi, ac primo loco eos relaturo, *qui de suis rebus ipsi auctores fuerunt*, pauca praefanda sunt. Quaeritur num ipsi Romani illam scribendi operam summorum hominum persona satis dignam iudicaverint. Virtutis enim nisi quae actuosa esset, laudem nullam statuebant (²), neque stante republica otiosae virtuti honorem unquam habitum esse legimus: in qua tamen Graecos multos acquievisse constat, honestis artium et doctrinae studiis deditos. Quid? quod civium Romanorum voluntariae mortes referuntur, qui vitam actionum expertem alere nollent. Itaque Sallustius ingenium vere Romanum aperit, quum init. Catil. dicit: „is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit." et c. 8: „populo Romano nunquam ea copia (praeclarorum ingeniorum) fuit, quia prudentissimus quisque negotiosus maxime erat." Verum licet haudquaquam par gloria sequeretur scriptorem et auctorem rerum (³), ac solum bene facere reipublicae pulchrum haberetur, tamen etiam benedicere haud absurdum videbatur: hanc igitur laudem si alteri maiori adiunxissent, et communi saluti et suae gloriae optime se consuluisse arbitrabantur. Plinius Sec. beatos putat, quibus deorum munere datum sit aut facere scribenda, aut scribere legenda, beatissimos vero, quibus utrumque. Hinc factum est, ut in nullo populo utriusque virtutis laude plures florerent, quam in Romanis. Siquidem optimus quisque quum aetatis robur in agendo consumpsisset, senescentium annorum otio ad actiones aut suas aut aliorum, quibus interfuisset, scriptis mandandas uti solebat. Neque enim fieri posse putabant, ut, qui multo reipublicae usu eruditus non esset, sui temporis memoriam conscriberet. Eloquentiae etiam in adolescentibus magnopere laudatae T. Cicero, J. Caesar, As. Pollio aliaque praeclara exempla sunt. At qui historia condenda adolescens aequalibus suis probatus fuerit, invenimus neminem. Huic igitur negotio Cicero senectutem suam destinat, quum a republica recessisset, hunc finem ut glorioso vitae cursui addat Plinio suo auctor est Tacitus, ipse exemplo suo eandem consuetudinem referens. Reip. autem Romanae ratio quum ea esset, quae et pacis et belli muneribus ex ordine fungendis copiam cuique offerret virium exercendarum, idoneam rerum civilium ac militarium peritiam omnes facile nanciscebantur, ita ut qui publicarum rerum scriptor hac scientia careret, esse non posse videretur. Romanorum praestantissimi historiarum scriptores vel consulari, vel senatorio munere ho-

---

(¹) v. Bernhardy l. l. p. 30. sqq. — De corrupta historiae dignitate cf. Lucian. quom. sit hist. conscrib. c. 13. 34. 41. 63.

(²) Cic. de off. 1, 6. 2, 1. Nat. deor. 1. 40.

(³) Sall. Cat. c. 3.

norati fuerunt: unum T. Livium a publicis negotiis abstinuisse constat; quae res ut diligentem lectorem minime fugit, ita in homine Romano a reip. luce nunquam plane averso facilius ferri potest.

Ceterum hic scribendi mos postquam a septimo urbis saeculo invaluit, ne sub Caesarum quidem imperio plane desiit. Conferebant se ad scribendum plurimi, recolenda praeclarae rei memoria denuo gloria sua frui cupientes, et ipsi sibi apud posteritatis iudicia causam suam agere videbantur. In quo genere qui iuventute inter bellorum strepitum transacta comtam dictionem adhibere non didicisset, ipsius argumenti gravitate facilem excusationem inveniebat. Ac primi vitarum enarratores sermonem valde neglexerunt, ut quibus aliud opus esset (1): orationis ornamenta assumta sunt, ex quo Graecis literis Romae honos esse coepit, quum spreta priscorum simplicitate homines literati ex elegantioribus Graecorum libris oblectamenta quaerere malebant (2).

Ab illa autem modestia, qua nunc fere homines suas ipsi laudes pronuntiare verentur, quum prorsus alieni essent veteres, pleriques, qua erant animi magnitudine, virtutem suam simpliciter praedicabant, aequalibus non arrogantiae hoc, sed rectae conscientiae tribuentibus (3): imo sub modestiae specie apud plerosque arrogantia latere credebatur. Illam Tacitus, aequalium suorum in ea re iniquitatem atque invidiam incusans, prioris aevi morum fiduciam vocat, nemini aut „citra fidem aut obtrectationi" habitam (4). Atque Plutarchus in libello de sui laude multas causas statuit iustas et honestas, ubi quis suus ipse laudator esse possit, modo ne quis nimium sibi placeat: Romanos aegre tulisse Ciceronem crebro res suas contra Catilinam gestas praedicantem; nulla enim urgente necessitate, tantum gloriae immoderata cupiditate impulsum laudes suas usurpasse (5).

Rerum suarum scriptores, quorum apud veteres mentio fit, non integram omnes vitae narrationem composuisse putandi sunt, sed plurimos gravissimam tantum partem literis mandasse probabilius est, quales nunc fere Francogallorum libri historici sunt. Quamquam igitur Augustum „de vita sua" scripsisse adnotatum legimus, nulla tamen indicia sunt, eum priora quoque tempora attigisse, antequam ad remp. accessisset. Et ab hoc memoriae genere Graeci etiam, quos nec utilitatis in posteros nec suae laudis ratio tantopere movit, ut ipsi suas vitas conscriberent, non omnino abhorruerunt. Namque *Aratus* scripsisse perhibetur eiusmodi ἀπομνημονεύματα rerum Achaicarum, dum ab ipso principe regerentur, a Plutarcho in Arato, Agide, Cleomene non semel adhibita (6). Similiter *Pyrrhus* rex res suas in commentarios retulerat (7). Ac multo ante *Jon* Chius, poeta celeberrimus, singulares temporum vices, quarum ipse testis fue-

(1) Cic. de or. 2, 12. Brut. 26. 29. (2) cf. Niebuhr kl. Schrftn. p. 89.
(3) Wagner ad Virg. Aen. 8, 131. (4) Tac. Agr. 1. (5) Plutarch. Reisk. t. 8. p. 139.
(6) cf. Polyb. 2, 40. 4. 4, 2. (7) cf. Lachmann de fontt. Liv. 2, 3.

rat, narrasse traditur ([1]); utitur eius auctoritate Plutarchus aliquoties in Cimone et in Pericle.

Eodem modo egerunt quos ex Romanis scriptoribus primo loco ponere possum: *M. Porcius Cato, L. Piso*, alii: horum enim ille in Originibus sua quoque facta videtur retulisse. v. Cic. Brut. 23. de or. 1, 53. Pisoni postea idem placuisse verisimile est, ut omnium, quae domi militiaeque fecisset, quasi rationem redderet in Annalibus ([2]).

Sed qui separatim vitae suae memoriam prodiderunt, quum permultorum ne nomina quidem sciamus, integrum autem opus extet nullum, in veterum libris hi fere commemorantur:

P. Rutilius Rufus, ob Asiae provinciae tutelam adversus publicanorum iniurias susceptam et utriusque Muc. Scaevolae amicitia nobilitatus, quem Velleius (2, 13) non saeculi sui, sed omnis aevi optimum virum dicit, res Romanas ad sua usque tempora Graece, vitam suam pluribus libris Latine enarravit. Cic. Brut. 29. 31. Tac. Agr. 1. Charisius Lindem. I. p. 69. 72. 80. II, 115. al.

Cum Rutilio *M. Aem. Scaurus* saepe iunctis laudibus propter priscam integritatem effertur ([3]). Scaurus, Rufi aequalis et in rep. adversarius, princeps senatus, ex Ciceronis iudicio propugnator reip. constantissimus omnibusque virtutibus ornatus, secundum Sallustium magna vitia callide occultans, et ipse de vita sua libros tres reliquit L. Fufidio inscriptos. cf. Cic. Brut. 29. pro Sext. 47. pro Fontei. 7. Sall. Jug. 15. Val. Max. 4, 4. 11. Charis. Lindem. I. p. 85. Diomed. al.

Ingeniosa nescio cuius coniectura est ([4]), Rutilium quum sponte in exilio maneret ([5]), de vita sua scripsisse, ut contra malevolos rerum a se actarum rationem redderet: quo exemplo Scaurum impulsum idem fecisse: verum licet multos talem scribendi causam habuisse concedatur, plurimos tamen patrium morem secutos esse, magis in promtu est.

Q. Lutatius Catulus, qui a. u. 652. cum Mario IV. consul bello Cimbrico interfuit, librum de consulatu et de rebus gestis suis conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis misit ad A. Furium poetam, familiarem suum. Cic. Brut. 35. Plutarch. Mar. 25. — Idem Catulus, cui Cicero in secundo de or. disputationis partem tribuit, primus ([6]) matronae, Popiliae matris, memoriam in concione solemni laudatione extulit. Cic. de or. 2, 11. Sed eius de vita sua librum Cicero nihilo notiorem esse quam tres Scauri libros affirmat, incipientibus tum hominibus, qui Graecas literas didicissent,

---

([1]) Schol. Aristoph. Pac. 830. Dind. ([2]) v. Liebaldt de Pisone. Naumb. 1836. p. 7.
([3]) Tac. Agr. 1. e posterioribus v. Ammian. Marcell. 30, 4. ([4]) cf. Walch Tac. Agr. p. 108.
([5]) Quintilian. 11, 1. 12. ([6]) Aliter Liv. 5, 50. Plutarch. Camill. 8.

Cyri vitam et disciplinam illis libris praeferre, rebus tamen Romanis longe aptioribus. Cic. Brut. 29.

L. Corn. Sulla de vita rebusque suis opus imperfectum reliquit; e libro primo et vigesimo locum affert Priscianus 9, 7. cf. Gell. 1, 12. 20, 6. Proximo libro sub ipsum mortis tempus manum Sullam adhibuisse auctor est Plutarchus Sull. c. 37. Prisciani autem et Gellii testimoniis diserte refutatur eorum opinio, qui Graece Sullam scripsisse statuerunt ([1]). Decepit eos Plutarchus frequentissime huius libri auctoritate usus, sed Romanarum literarum idem non magnopere sciens: nam quod Lucullo commentarios suos dedicavit Sulla ([2]), quo neminem putavit ad concinnandam historiam magis idoneum, inde quid de sermone colligi queat, non video. Saepenumero amicis id munus relictum legimus, ut mortuorum amicorum scriptis extremam manum imponerent; et scripsit sane Lucullus Graece de bello Marsico, sed Sullam, quem ex Sallustio (Iug. 95.) literis Graecis atque Latinis iuxta ac doctissime eruditum fuisse comperimus, illius ut peritioris amici operam poposcisse, temere iudicatur. Id solum negotii Lucullo datum esse crediderim, ut res narratas accuratius digereret, inchoata absolveret, inferretque aliqua orationis ornamenta, quo studio Lucullus insignis fuisse dicitur. Cum Plutarcho non aegre conciliatur Suetonius, Epicadum libertum opus Sullae novissimum supplevisse dicens, de illustr. gramm. 12. Neque enim id Sullae iussu fecit Epicadus, neque eadem cum Lucullo ratione, sed fortasse Fausto, Sullae filio, cui gratissimus erat, obtemperans et quam e domestica consuetudine noverat vitae partem persecutus ([3]). Ceterum incertae fidei quum propter has causas eos libros fuisse credibile est, tum quod eo potissimum consilio res suas contexuisse videtur Sulla, ut sua felicitas, deorum erga se favor, in adversarios suos ira appareret; quamobrem et Plutarchus cum quadam animi haesitatione eum sequitur ([4]).

L. Lucullum, cuius modo mentio facta est, belli Marsici graecam historiam edidisse refert Plutarchus vit. Luc. c. 1. Non totam igitur vitam suam pertractavit, sed hanc eius partem satis memorabilem. Asiatici belli historiam adiunctam fuisse ex Cicerone ad Att. 1, 19. colligi non debet.

Sed eodem loco *M. Tull. Cicero* commentarium consulatus sui Graece compositum se ad Atticum misisse ait. Novimus illas summi viri ληκύθους: promittit easdem res Latino sermone comprehensas ac tertium poema, ne quod genus a se ipso laudis suae praetermissum sit ([5]). Num vere addiderit, non ἐγκωμιαςικά esse haec, sed ἱςο-

---

([1]) hunc errorem propagaverunt imprimis Heeren de fontt. Plut. p. 152. et Schlosser Universalhist. Übers. 2, 2. 540.

([2]) Plut. Lucull. 1. 4. ([3]) cf. Drumann l. l. 2. p. 499. sqq. Vossii ratio, de hist. Lat. 1, 9. parum probabilitatis habet.

([4]) add. Plin. N. H. 22, 6. ([5]) v. Quintilian. 11. 1. 18.

ρικά, quae scribat, iure dubitamus, neque Corn. Nepoti ([1]) facile assentimur, Ciceronem unum fuisse praedicanti, qui potuerit et debuerit historiam digna voce pronuntiare. — Quod in epistola ad Lentulum (1, 9.) memorat Cicero: „scripsi etiam versibus tres libros de temporibus meis, quos iam pridem ad te misissem, si esse edendos putassem; sunt enim testes et erunt sempiterni meritorum erga me tuorum meaeque pietatis," non videtur alium librum designare, quam de consulatu suo poema ([2]). Praeterea hoc loco commemorandus est Ciceronis liber „de suis consiliis," in quo multa acerbe contra Caesarem et Crassum aliosque congesserat; sed metuens ne se vivo emanaret, obsignatum filio tradidit cum mandato, ne eum se superstite aut legeret aut ederet. v. Dio Cass. l. 39. post init.

M. Ter. Varronem Charisius (t. 1. p. 50. Lindm.) testatur de sua quoque vita librum edidisse.

De hoc libro verius dicatur, quod de *M. Jun. Bruti* commentariis Schlosserus ([3]) censet, magnam has literas in iis iacturam fecisse, quia et vitae philosophia et reip. historia insignem ex iis fructum accepturae fuissent. Atque his *Pomp. Attici* libros eiusdem generis adiungit non minore laude dignos, quippe quorum auctor, a partium studio ipse alienus, principum sui temporis hominum familiaritate usus et quamvis privatus, publicorum tamen negotiorum peritissimus, multa denique eruditione instructus fuerit. Esset sane quod doleremus: at de huiusmodi illorum virorum commentariis prorsus nulla usquam mentio extat, ut appareat, Schlosserum testimoniis destitutum, ex suo arbitratu communem aevi consuetudinem ad eos quoque viros transtulisse. Nam Attici annalem, quo annorum septingentorum memoriam uno libro breviter complexus erat, diversi generis fuisse, ex Cic. Brut. 3. Orat. 34. Nep. Att. 18. perspicuum est. Et possit quis non inepte ex universo Attici ingenio coniicere a sui temporis memoria tradenda eum cautius abstinuisse. Brutus quatenus ad hanc quaestionem pertineat, infra ostendetur.

M. Porc. Cato Uticensis utrum libro singulari an epistolis ad filium datis de vita sua exposuerit, parum liquet. Plutarchum certe frequenter eius scriptis usum videmus et bene animadvertentem, quantam prae se ferret Cato de praestantia sua persuasionem ([4]).

C. Iul. Caesarem magnam vitae suae partem commentariis ([5]) de bello Gallico et de bello Civili scriptis amplexum esse nemo ignorat: etenim fieri non potuit, quin

([1]) v. fragm. antiq. cod. Guelpherbyt. cf. Cic. de legib. 1, 2. ([2]) v. Vossius l. l. 1, 11. cf. infr. de Lucceio.

([3]) Universalhist. Übers. 2, 2. 559. ([4]) cf. Plut. vit. Brut. et Cat. min. c. 20. 21. ibid. c. 14; ἀεὶ τῶν ἰδίων ἐγκωμίων ἀφειδὴς καὶ τὴν ἄντικρυς μεγαλαυχίαν ὡς ἐπακολούθημα τῆς μεγαλουργίας οὐκ ἔφευγεν.

([5]) Ita Latinis scriptoribus vocantur, Straboni ὑπομνήματα, Graeco Caesaris interpreti ἀπομνημονεύματα, Plutarcho ἐφημερίδες.

in illis rebus persequendis et sua ipse consilia aperiret et fortunae vices demonstraret. Hos vero libros in gravissimis occupationibus compositos eximium ingenii sollertiaeque monumentum esse omnis aetas iudicavit. Dicendi genus egregia laude ornatur ap. Cic. Brut. 75. cf. praef. Caes. bell. civ. l. 8. Sueton. Caes. 55. 56. — De fide operi tribuenda Asinii Pollionis sententiam servavit Suetonius c. 56: nam parum diligenter ille parumque integra veritate eos libros compositos putavit, „quum Caesar et quae per alios erant gesta temere crediderit, et quae per se, vel consulto vel etiam memoria lapsus perperam ediderit." Quod iudicium, etiamsi Pollionis animum a malignitate quadam minime alienum fuisse constaret, tamen ad elevandam Caesaris fidem multum, vel rectius dicam, nimium valuit (¹).

Octavianus Augustus de vita sua tredecim libris Cantabrico bello tenus, nec ultra, exposuit (²). Inscripserat eos libros Agrippae et Maecenati, unde falso a quibusdam ad Maecenatem auctorem relati sunt (³). Latino autem, non Graeco sermone conscriptos fuisse, quum ex Suetonio (c. 89.) suspicamur, Augustum quidquam Graece componere ausum negante, tum aperte docent loci servati, velut Plin. N. H. 2, 25.

De *M. Vipsanii Agrippae* commentariis Plinii locus est N. H. 3, 2; praeterea Philargyrii ad Virg. Georg. 2, 162: „Agrippa in secundo vitae suae dicit, excogitasse se, ut ex Lucrino lacu portum faceret."

Tiberius Caesar in secessu Capreensi, ut videtur, „commentarium de vita sua summatim breviterque composuit." Suetonius aliquid ex eo afferens fide tamen non satis dignum iudicat. Eundem librum designare videtur, quum Domitianum praeter commentarios Tiberii nihil lectitasse dicit. cf. Suet. Tib. 61. Domit. 20. add. Plin. N. H. index auct. l. 2.

Neque mulieres ab hac scribendi opera abstinuisse ex Tacito cognoscimus, qui Ann. 4, 53, ubi de Agrippina maritum a Tiberio poscente retulit, ita pergit: „id ego a scriptoribus annalium non traditum repperi in commentariis *Agrippinae* filiae, quae Neronis principis mater vitam suam et casus suorum posteris memoravit" (⁴).

Sequitur *Claudius* Caesar, quem de vita sua octo volumina magis inepte quam ineleganter scripsisse refert Suet. Claud. 41. De ineptiis non dubitamus: sermonis elegantiam ne Tacitus quidem in Claudio requirit, quotiens meditata dissererentur. v. Ann. 13, 3.

Nerv. *Traianum* quae contra Dacos feliciter egisset, ipsum scriptis mandasse, colligitur ex Prisciano l. 6, 3. 13. cf. Plinii ad Caninium idem opus meditantem epistola 8, 4.

---

(1) Drumann 3. p. 754. (2) Suet. Oct. 85. add. Serv. Virg. ecl. 9. v. 47. Suidas voc. August. Αὔγουστος Καῖσαρ—ἔγραψε περὶ τοῦ ἰδίου βίου καὶ τῶν πράξεων βιβλία ιγ'.

(3) cf. Meibom. Maec. p. 113. (4) cf. Vossius de hist. Lat. 1, 25.

Imperatorem *Hadrianum* de vita sua scripsisse Ael. Spartianus Hadr. 7. memorat; idem c. 16. haec habet: „famae celebris Hadrianus tam cupidus fuit, ut libros vitae suae, scriptos a se, libertis suis literatis dederit, iubens ut eos suis nominibus publicarent: nam Phlegontis libri Hadriani esse dicuntur." Sed ex hoc loco apte coniicias, eos commentarios Graeco sermone compositos fuisse (¹).

De *Septim. Severi* vita ab ipso literis consignata mentionem infert Ael. Spartianus vit. Sever. c. 3. 18: „Doctrinae nimis cupidus; latronum ubique hostis; vitam suam privatam publicamque ipse composuit ad fidem." Sed haec fides tamen veteribus suspecta fuit. — cf. Capitolin. Clod. Albin 7. 10. — Spartian. Pescenn. Nigr. 4, 5.

Hos igitur a scriptoribus commemoratos invenimus: at multo plures ex ipsis Imperatoribus aliisque viris eodem aevo nobilibus hoc veterum institutum retinuisse facile nobis persuademus (²); quorum memoria excidit. Nam Tacito, Suetonio, aliis, multorum eius generis librorum copiam fuisse manifestum est.

Qui aliorum vitas libris editis memoraverunt longe plures sunt: sed singulorum antequam vestigia persequar et monumenta enumerem, universi eius operis *aetates* describendae sunt. Nam etsi clarorum virorum facta moresque posteris tradere, antiquitus usitatum (³) nullum tempus plane omisit, tamen commutata reip. conditio eius quoque instituti diversitatem induxit. Sicut omnino literarum Romanarum rationes a reip. forma et vicibus seiungendae non sunt, ita vitarum conscriptionem ea libertas moderata est, quae alia aliis temporibus singulorum hominum naturae et voluntati concedebatur.

Primam historiae Romanae partem quum Gracchorum aevo terminamus, eorum saeculorum decursum complectimur, quibus resp. civium fortitudine in dies aucta et patriis institutis sapienter temperata in summum potestatis fastigium escendit. Hoc autem tempore sive agendo sive scribendo nihil aliud quaerebant cives, nisi ut servata priscorum morum integritate ac patrum virtute ad posteros propagata reip. vis et auctoritas stabiliretur et amplificaretur. Tum ut agere memoratu digna pronum magisque in aperto (⁴) erat, quam post id tempus, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam virtutis memoriam sine gratia aut ambitione, bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. Atque optimatium imprimis ea cura fuit, a quorum studiis omnes omnino Romanorum literae meliore aetate profectae sunt: qui quamvis sui praecipue generis nobilitatem eiusmodi monumentis tueri vellent, tamen in eo publicae civitatis saluti non deerant.

(¹) cf. Bernhardy Griech. Liter. 1, 412. (²) cf. Falster Quaestt. Rom. p. 292. sqq.

(³) Tac. Agr. 1. (⁴) sunt Taciti verba Agr. 1, huic et proxime insequenti tempori optime convenientia. Vocem *in aperto* Walchius perperam de rerum gestarum fama intelligendam censet: imo sicut c. 33. virtus in aperto est, cuius probandae locus non iam difficultatibus impeditur, sed ad agendum patet, ita c. 1. temporum felicitas significatur, qua prioribus invidia aliaque impedimenta facile tollebantur, quum et ipsi proni essent ad egregia exempla edenda. Postulat hanc interpretationem universa loci sententia.

Quodsi singularis aliqua virtus laudibus extolleretur, eius rei fructum ad omnem remp. pertinere credebant, unde illa prodiisset. Itaque accidit, ut principum virorum, qui florentissima aetate factorum praestantia excelluerunt, mirabilis sit similitudo: eminent quidem supra vulgus, sed referunt omnes commune suorum civium totiusque aetatis ingenium a reip. rationibus minime diversum. Vitarum hoc tempore scriptarum rara vestigia supersunt; qui de suis rebus ipsi exposuerunt, supra relati; praeterea mortuorum laudationes commemorantur. Livium autem historiae Romanae priorem partem post reges exactos, praecipue ex familiarum nobilium commentariis hausisse, quamvis id ipse non testetur, universa operis conditio patefacit ([1]).

Sequitur liberae reip. ultimum tempus, factionum studiis perturbatum, donec omne imperium in unius dominationem cessit. Iam ordinum concordia primo contentionibus civilibus, deinde principum inimicitiis paulatim dissoluta suae quisque causae popularem posthabere coepit. Plerosque igitur, qui hac aetate aut suam aut aliorum vitam composuerint, partium rationibus potius, quam reip. commodo servire maluisse sponte suspicamur: et confirmant eam opinionem satis crebrae commentariorum eo tempore editorum mentiones.

Tertia aetas Imperatorum est. Tum vero permulti hanc scribendi operam susceperunt, sed diversa quam prioribus ([2]) eius rei lege proposita. Reip. enim libertate in principatum versa magno paulatim discrimine seiungi coepta est publica et privata hominum vita. Neque iam illi maxime conspicui erant, qui universi populi aut certarum partium ingenium et consilia prae ceteris factis suis exprimerent, nec qui avitam gloriam moribus suis tueri vellent, sed quos principis favor extulerat, et si quis forte propria facultate ac potentia eminebat. Nobilitatis enim viribus fractis, quum magnorum nominum splendor magis magisque evanesceret, summorum hominum posteri aut principum odio aut temporum iniquitate alii ad inglorium otium ([3]), alii ad sordidam egestatem ac vitae turpitudinem delapsi, tantum aberat ut patrum honorem retinerent, ut opprobrio essent memoriae eorum. Sortis tam misere mutatae exempla habent Seneca et Tacitus; vide hunc, Ann. 2, 38. 3, 55. 66. 4, 13. 6, 29. 12, 53. 13, 34. 15, 49. Satius enim ducebant principes eos negotiis praeficere, quos non propter maiorum merita, sed suis tantum beneficiis sibi devinxissent. Ideo rariores tunc virorum prisca nobilitate insignium vitae publica memoria celebres, prohibente plerumque imperantium suspicione, ne privati hominis nomen supra principis attolleretur ([4]). Verum ipsa hac publicae salutis clade commotos interdum videmus, qui quum in ea tempora nati essent, quibus firmare

---

([1]) cf. J. C. Stange, de fontt. Liv. l. 2. 3. Francof. Viadr. 1834.

([2]) Tempori post pugnam Actiacam plane converso ipsi posteriores scriptores opponere solent *prius aevum, veterem aetatem* et similia. v. Walch. Tac. Agr. p. 119.

([3]) Tac. Hist. 4, 5: „plerique nomine magnifico segne otium velabant.“ ([4]) Tac. Agr. 39.

animum expediret constantibus exemplis (1), antiquae virtutis memoriam, desiderii sui testem, scriptis recolerent.

In ipsorum Caesarum vita idem discrimen cernitur, de quo supra monui: nam domestica vita et aula certis finibus a reliquo imperio disiuncta, parem tamen gravitatem obtinere coepit. Ex hac igitur temporum conversione necessario evenit primum, ut quae antea universam remp. spectaverat, historia nunc multo magis singulorum principum vitam persequeretur, deinde ut in vitis scribendis non tam ad publicas rationes et res gestas animus adverteretur, quam ad ingenii morumque proprium habitum et ad domestici victus consuetudines. Utrumque Velleius probare potest, praesertim cum proxime superioribus, velut Sallustio, Livio collatus. Ingenti intervallo distant; nam quas illi potissimum secuti erant, publicis rationibus Velleius tantopere anteposuit privatas, ut vel in bellorum commemoratione fere brevissimus, in hominum ingeniis moribusque illustrandis admodum copiosus esset (2), et omnino personas quam res potiores haberet. Nimirum desinebat hominum vulgus reip. studia agitare, ad quam accedere principis arbitrio vetabantur: et plerumque privati homines eiusmodi libris conscribendis intenti erant. Quotus enim quisque fuit, qui ingeniorum Romanorum vim optimis reip. temporibus et literarum et reip. gerendae studiis parem aequalibus tum probare posset? Quam igitur praestare non poterant civilem prudentiam, artibus ex rhetorum scholis petitis compensare studebant. Secuta sunt ea tempora, quibus inertia pro sapientia fuit (3), atque paulatim ipsius inertiae dulcedo animos subiit. In hac vero animorum corruptela aetatem suorum incuriosam fieri oportuit (4); et si quis communi servitute oppressus non esset, scribendi libertatem coercebant Imperatorum edicta (5), ut raram temporum felicitatem Tacitus praedicare posset, quum sub Nerva et Traiano sentire quae velles et quae sentires dicere liceret (6), postquam antea non modo in ipsos auctores, sed in libros quoque eorum saevitum erat. Non deerant quidem principum historiae, sed „ipsis florentibus ob metum falsae, postquam occiderant, recentibus odiis compositae." Cum hac Taciti sententia congruit Josephus testans Neronis et superiorum res multos conscripsisse, quorum aliqui in gratiam eorum, ut bene de se meritorum, veritatem neglexerint, alii vero ex odio suscepto inverecunde adeo mendaciis in eos debacchati sint (7).

Vidimus necessitate quadam evenisse, ut reip. memoria paene extincta singulorum principum vitis tradendis omnis iam rerum Romanarum historia contineretur.

---

(1) Tac. Ann. 16, 35. (2) Idonea exempla collegit Ulrici l. l. p. 134.

(3) Tac. Agr. c. 6. c. 2. Plin. panegyr. 66: „terror et metus et misera illa ex periculis facta prudentia monebat, ut a rep. (erat autem omnino nulla respublica) oculos, aures, animos averteremus."

(4) Tac. Agr. 1. (5) Seneca de benef. 3, 27. Tac. Ann. 3, 34. 35. Agr. 2.

(6) Tac. Hist. 1, 1. (7) Tac. Ann. 1, 1. Joseph. Antiq. Jud. 20, 8. 3.

Extiterunt quidem generosa ingenia, in quibus pristinae reip. pariter cum cognitione amor vigeret, ita ut etiam in historia condenda, saeculo suo adversantes, populi Romani, non principum modo, memoriam scribere adniterentur, cuius studii nobis *Tacitus* praeclarissimum exemplum est ([1]). At vero principis auctoritas omnia sibi obnoxia fecerat; neque extra hanc memorabiles usquam civium rationes reperiebantur. Propterea neque Tacitus facere potuit, quin a Caesarum ingenio, moribus, consiliis, fortuna omnes reliquas res velut a principio deduceret et quae a populo, quae in senatu atque in provinciis agerentur, circa superiores illustrioresque eorum personas disponeret; unde non sine animi dolore ipse profitetur rerum similitudinem legentiumque satietatem nasci oportere ([2]). Et hoc quidem nomine Historiarum cum Annalibus nulla diversitas est, quia in utroque opere rerum relatarum causae a principis cuiusque indole repetuntur, quos singulos universae vel Iuliae vel Flaviae gentis fortuna complectitur. Non mirandum igitur, quod Hieronymus loco illo comment. in Zachar. prophet. 3, 14 Tacitum usque ad mortem Domitiani *vitas Caesarum* triginta voluminibus exarasse dicit. Similiter alii eum Historiae Augustae scriptoribus adnumerant.

Post Tacitum nullius scriptoris ingenium Romanae virtutis et magnitudinis recordatione ad parem ardorem erectum deprehenditur. Quantopere autem veterum in scribendo vis, rerum civilium prudentia et studium imminuta atque adeo sublata fuerint, documento sunt Suetonius et Scriptores Hist. Augustae. Eorum permulti similes fuerunt, quorum tantum nomina supersunt. Alios, a reip. rationibus etiam magis alienos, ut Curtium et Florum, in solam hominum delectationem rhetorico dicendi artificio male abusos videmus. Simul cum aucta legendi cupiditate, cognoscendique quae in aula agerentur, augescebat id hominum genus, quos *curiosos* vocabant: hi maxima minima diligenter conquisita literis mandabant, ut nihil eorum ignoraretur, quae ad res principum pertinerent ([3]). Eosdem ipsorum principum voluntati interdum scriptionem suam accommodasse mirum non videbitur ([4]): nam plerique sine dubio sicut L. Verus fore arbitrabantur, ut gesta sua posteris tanta viderentur, quanta scriptores narratione sua videri vellent ([5]). Eiusmodi homines saepius tum, quae antea singulae editae erant, principum vitas in unum colligere coeperunt, ac fere priorum eas vitas suis Imperatoribus dedicabant, quorum aut invidiam aut laudem iis iucundam fore sperabant. Scriptores igitur et talibus principibus et suo tempore digni ([6]).

([1]) Attende imprimis Agric., Histt., Annall. exordia. ([2]) Ann. 4, 33.

([3]) v. Madvig. ad Cic. de finib. p. 9. 196. Quintilian. 8, 3. 55. Salmas. ad Vopisc. Prob. 2. Vopisc. Aurelian. 10: „frivola haec fortassis cupiam, sed curiositas nihil recusat."

([4]) v. Lamprid. vit. Heliogab. 8. ([5]) L. Veri ep. ad Corn. Frontonem. 9, 13.

([6]) cf. Heyne opusc. acad. 6, 58.

Reliquus istorum saeculorum in hoc genere proventus maximam partem panegyrici sunt, Imperatorum quorundam laudes effuse et incredibili impudentia pronuntiantes, oratione in cothurni Gallicani ridiculos tumores corrupta ([1]). Interim Suetonii ratio rerum memorabilium narratiunculas suaviter connectentis multis videtur placuisse: ad cuius auctoritatem in vitis enarrandis et alii posteriores se composuerunt ([2]), et in postremis Einhardus eo libello, quo Caroli Magni res gestas tradidit.

His in universum disputatis iam singulorum vestigia secundum temporum ordinem persequar.

Pro instituti nostri ratione missos facimus eos scriptorum locos, ubi mortuorum laudationes in foro habitae commemorantur; neque pertinent ad rem nostram qui de suo tempore commentarios reliquerunt, nisi singillatim in iis de clarorum hominum vita expositum fuit. Non curamus igitur aut Fabium aut Cincium: et eximendi sunt ex hoc numero alii quoque, quamvis „de vita" alicuius scripsisse nonnunquam dicantur. Ita Gellius 11, 14: „simplicissima suavitate et rei et orationis *L. Piso* usus est..., quum de Romuli regis vita atque victu scriberet." At L. Calp. Piso Frugi (consul cum P. Muc. Scaevola a. u. 621.) in annalibus suis copiose quidem de praestantissimis viris scripsit, neque tamen separatim enarravit singulas vitas.

Huic in pari causa *P. Rutilium Rufum* adiungo (cos. a. u. 649.). De sua vita eum commentarios Latine scriptos edidisse supra indicatum est. Eundem Scipionis Afr. mai. vitam memoriae mandasse quidam putaverunt ([3]). At quod Livius (39, 52.) eius testimonio de Scipione utitur, id non singularem librum spectat, sed ampliorem illam historiam, Graece scriptam et a vetustissimis temporibus usque ad Sullam pertinentem ([4]). Nuper errorem repetivit W. Otto ad Isidor. Orig. 20, 11. 4. in Corp. Gramm. Lat. Lindem. 3.

De *Gracchis* aequalium multos scripsisse haud temere ex Plutarcho colligimus; cf. vit. Tib. Gr. c. 4. 8. 21. Sed Plutarchus veterum more raro auctorum suorum nomina addit, nisi ubi diversas scriptorum sententias commemorat.

M. Ter. Varro, Romanae antiquitatis diligentissimus investigator, vir immensi laboris, et qui vitam actuosam coniungendam esse cum otiosa, omnibus autem scriptis vitae usui consulere legem sibi fecerat. (Obiit prope nonagenarius a. u. 726.) De vitarum brevi notitia imaginibus subscripta supra dictum est p. 7. Idem opus ediderat de vitis poetarum: v. de Naevio Cic. Brut. 19. de Ennio et Naevio Gell. 17, 21. de Euri-

---

(1) e. g. Auson. ad Gratianum: „ades locis omnibus; nec iam miramur licentiam poetarum, qui omnia deo plena dixerunt. — Tibi coepit deus debere pro nobis. — o mentis aureae dictum bracteatum! o de pectore candidissimo lactei sermonis alimoniam!" cet. — cf. Gesner. praef. Claudian. p. VIII.

(2) v. Iul. Capitolin. Maxim. et Balb. 4. Vopisc. Prob. 2. Firm. 1. (3) Fabr. bibl. Lat. Ern. 3, 375.

(4) v. Madvig. opusc. p. 21. Lachmann, de fontt. Liv. 2. p. 28.

pide Gell. 17, 4. de Terentio Sueton. Ter. 2. et cf. infra Hyginum. Huius libri vestigia etiam in Charisio et in Diomede inveniuntur. Varronis liber „de vita populi Romani" in codicibus quibusdam inscriptus est: „de vita patrum," errore ex compendio scripturae nato. Neque vero de singularum vitarum enarrationibus intelligendum id est, sed prisci aevi omnem vitam i. e. publicos mores et domestica instituta exposuerat. Patrum simplicitatem artesque, quibus resp. crevisset, aequalium suorum pravis moribus et luxuriae eum opposuisse fragmenta docent (1).

L. Cornel. Sisenna: mortuus est a. u. 687. postquam paulo ante cum Hortensio C. Verrem contra Ciceronem defendit (2). Eum Sullae res diligentissime persecutum esse Sallustius (3) dicit; et ita quidem fecit, ut a bello Marsico a. u. 663. incipiens ad a. 676. pergeret, quo Sulla diem supremum obiit.

L. Otacilius Pilitus Cn. Pompeii Magni praeceptor, huius et patris eius res gestas compluribus libris exposuit, „primus omnium libertinorum scribere historiam orsus, nonnisi ab honestissimo quoque scribi solitam." Sueton. de clar. rhet. 3. — Saepius autem hoc et posteriore imprimis aevo libertorum pietas patronorum vitam monumentis illustravit; complures infra commemorandi erunt (4).

M. T. Cicero adolescens quum Muc. Scaevolae operam daret in iure civili, Marii popularis sui res gloriosas carmine celebraverat (5). Idem Catonis Uticensis virtutem, consilia, vitae finem singulari laudatione praedicavit, cui Iul. Caesar eius vituperationem, Anticatonem, opposuit. cf. Cic. ad. Att. 12, 4. Tac. ann. 4, 34. Gell. 13, 19: „de cuius vita liber est M. Ciceronis, qui inscribitur laus M. Catonis" (6).

Anno post similes de Catone libros ediderunt *Fab. Gallus*, v. Cic. ad fam. 7, 24. et *M. Brutus* (7), v. Cic. ad Att. 13, 46, contra quem scripsit Octavianus. v. Sueton. Oct. 85. Bruti laudationem Appii Claudii, quam citat Diomedes I. de format. vbi., ne quis huc pertinere putet: fuit oratio in honorem soceri sui mortui habita.

Munatius Rufus, eidem Catoni inter familiares et „Cypriacae expeditionis fidus comes" (8), et ipse amici memoriam prodidit: *ὁ Μουνάτιος σύγγραμμα περὶ Κάτωνος ἐξέδωκεν, ᾧ μάλιςα Θρασέας ἐπηκολούθησε.* Plut. Cat. min. 37. Hunc locum cum neglexisset Vossius (9), expeditionem tantum illam a Munatio perscriptam fuisse coniecit.

De Caesare, Cicerone aliisque eo tempore illustribus viris multos scripsisse vel ex uno Plutarcho satis apparet: sed plurimorum ne nomina quidem novimus. Nemo

---

(1) cf. Krahner, comment. de Varr. Hall. 1834. p. 9. (2) cf. Meyer ad Cic. Brut. 64.

(3) Iug. 95. add. Vellei. 2, 9. (4) similia huius officii exempla v. ap. Casaub. ad Suet. Vitell. 1.

(5) cf. Turneb. ad Cic. de legg. 1. 1. (6) add. Plutarch. Caes. 54. Dio Cassius 43, 13. De Anticatonibus v. Drumann 3, 759. sqq.

(7) „qui non malignitate nec invidia, sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexit." Dial. de or. 15.

(8) Val. Max. 4, 3. 2. (9) de hist. Lat. 1, 5.

autem plures quam *Iul. Caesar* rerum suarum enarratores videtur invenisse ([1]). Memorantur nominatim: *Corn. Balbus*, Suet. Caes. 81. Sidon. l. l. *C. Oppius*, Suet. Caes. 52. 53. Plut. Caes. 17. Plin. h. n. 11, 45. Praeterea Oppius de vita C. Marii egerat, Plin. ibid. De vita Cassii, Charis. Lindm. 1. p. 85. De Scipione Afr. superiore, Charis. ibid., Gell. 7, 1. De Cn. Pompeio Plutarchus (Pomp. 10.) Oppii fidem, ut Caesaris amici, detrectat.

Non huius, sed *A. Hirtii* habentur libri de Caesaris bello Alexandrino et de bello Africano, ad quae accedit non dissimili dicendi genere liber octavus de bello Gallico, ad Corn. Balbum perscriptus. Atque horum bellorum fines egressus alios commentarios usque ad Caesaris mortem perduxerat. v. bell. Gall. 8. praef. — Hispaniense bellum, quod a superioribus duobus non separat Suetonius ([2]), quamquam ipse de auctore dubius, propter sermonem multo incultiorem alii assignandum est. de quo varias coniecturas v. ap. Vossium. h. l. 1, 13.

De M. Bruto ἀπομνημονεύματα scripsit *Bibulus*, eius privignus, filius Portiae. Plutarch. Brut. 13. 23. Cum his multum usus est Plutarchus commentariis *Volumnii*, Bruto amicissimi. cf. c. 48. 51.

M. Ciceronis patroni sui vitam pluribus libris enarravit *Tull. Tiro*, v. Ascon. Pedian. praef. Cic. Milon. ([3]). De consulatu Ciceronis postquam *Atticus* librum Graece confecit ([4]), idem ut Latino sermone faceret *Lucceium*, nobilissimum historiarum scriptorem epistola illa (ad fam. 5, 12.) permovere studuit, qua ipse valde delectatus est ([5]). Blandissimis verbis eum rogat, ut res a se consule gestas usque ad reditum, seiunctas ab reliquis rebus separatim tractare velit, atque ad se ornandum etiam historiae leges negligere ne dubitet; commentarios idoneos se ei suppeditaturum esse. Reprehensus est in hac parte non mediocriter Cicero: at hoc saltem tenendum est, invidiae ab inimicis in se collatae eum resistere voluisse ([6]), atque vehementer optasse, ut suum nomen aliquem iuxta Pompeium et Caesarem locum obtineret, neve plane eorum splendore obscuraretur. Et pollicitum esse Lucceium Ciceroni operam suam ex epistola ad Att. 4, 6. discimus; libri editi nulla vestigia comparent. Nam errat Vossius ea in Asconii schol. Cic. or. in toga cand. ([7]) deprehendi ratus. Quae ibi commemorantur orationes in Catilinam, eas Lucceius scripsit, quum ipse Catilinam reum inter sicarios fecisset.

Integram Ciceronis vitam pluribus libris memoriae mandavit *Cornelius Nepos*, v. Gell. 15, 28.

Quando natus et mortuus sit Nepos, accurate definiri non potest: sub Augusti principatu eum obiisse Plinius refert N. H. 9, 39; sed libris editis Ciceronis, Attici,

---

([1]) cf. Sidon. Apollinar. 9. 14. ([2]) Caes. 56. cf. Drumann 3, 76.
([3]) ed. Orelli p. 49. add. Plut. Cic. 41. 49. ([4]) Cic. ad Att. 2, 1. Corn. Nep. Att. 18.
([5]) Cic. ad Att. 4, 6. ([6]) cf. Quintilian. 11, 1. 18. ([7]) ed. Orelli p. 93.

Catulli tempore celebratum eum hisque ipsis familiarem fuisse, ex Cicerone et Catullo patet. Attici amicitiam ipse profitetur; nec desunt alii testes (1). Ex scriptis eius ad nostram causam pertinent: *Illustrium virorum* lib. XVI. v. Charisium (Lindm. 1. p. 81.), Gell. 11, 8. Serv. ad Virg. Aen. 1, 368. Admodum varii generis homines iis Nepotem complexum esse e fragmentis cognoscitur: nominantur et Graeci et Romani, historici, poetae, oratores, imperatores. Aurelii Victoris libellus quum eodem titulo insignitus esset, nec de auctore satis constaret, in codicibus quibusdam Nepoti attributus est. — *De historicis* singularem librum fuisse fragmenta quaedam editionibus recentioribus vulgo adiecta fidem facerent, nisi aliena manu conficta viderentur.

Exemplorum libri quorum ap. Gell. 7, 18. Charis. l. I. mentio fit, aliam illustrium virorum inscriptionem fuisse suspicatur Rankius (l. l. p. 33.), causis adductus satis levibus; nam ubi veteres consentiunt, quae potest Harduini in tali re auctoritas esse? Imo dubitari non debet, quin hic liber a superiore diversus fuerit, nec tamen vitarum descriptiones, sed singulas res commemorabiles continens. — In illustribus viris etiam de regibus Cornelium egisse cum aliis (2) statuendum nobis foret, si libelli *de excellentibus Imperatoribus* auctor unus et certo Cornelius Nepos habendus esset.

Ad hanc dubitationem quum deveni, quaestionem aggredior a multis tentatam, sed de qua etiam nunc in diversas partes viri docti discedunt. Equidem quantum potero brevissime sententiam meam explicabo.

Quaeritur num eidem et tempori et auctori, cuius superiores libri sunt, hic quoque de vitis excellentium imperatorum libellus assignandus sit, qui scriptorum Romanorum primus hodie puerorum manibus teritur. Codices manuscripti propemodum omnes (3) atque editiones vetustissimae *Aemilium Probum* auctorem exhibent, Catone et Attico exceptis, quae fere cum Graecorum vitis in codicibus coniunctae Cornelii nomen in fronte gerunt ita inscriptum: ex Corn. Nepote (de Lat. historicis), aut: (Attici vita) ex Graeco sermone in Lat. per Corn. Nep. translata. Graecorum autem vitae, quibuscum maxima iis similitudo intercedit, quum constanter Aem. Probo tribuantur, recte cum Nissenio (4) contra Lieberkühnium suspicari videmur, fuisse Probi aliquas in his vitis, fuisse Nepotis partes. Conveniunt quae in cod. Arlen. extrema pagina leguntur: „completum est opus Aemilii Probi Cornelii Nepotis." Atque Probum hunc

---

(1) Nep. Att. 13. 17. Gell. 15, 28. Hieronymus, v. Ranke de Corn. Nep. 16. (2) v. Bremi ad Nep. Reg. 1: „namque reges attingere noluimus, quod omnium res gestae separatim sunt relatae."

(3) sunt codices triginta quatuor inter 13. et 16. saeculum scripti. (4) de Corn. Nep. Rendsburg. 1839. — Lieberkühn-Pohlmann (comment. de auct. vitar. quae sub nom. C. N. feruntur. Lps. 1837.) integram Nepoti auctoritatem restituere conatus est; quem paulo cupidius quidam secuti sunt. Qui praeter hos inde ab H. Schlegelio (Havn. 1778.) et F. Rinckio (1818) idem argumentum tractaverint, pluribus recensere nunc nihil attinet. cf. Freudenberg. Zeitsft. f. Alterthumswissensch. 1839. p. 1109. sqq.

Imperatoris Theodosii aevo vixisse versus indicant sex codicibus antiquissimis additi, e quibus eius nomen in reliquos videtur fluxisse, paulatim nescio unde Aemilio nomine praeposito. Nam ut duo Probi distinguendi sint, „epitomator" alter, alter scriba librarius, non satis valet Nissenii argumentatio (1). Neque lucem ullam affert Ausonii locus (ep. 16.), ubi se ad Probum (2) Nepotis Chronica misisse dicit.— Verum ex quo Obert. Gifanius codicum auctoritatem aspernatus Cornelio Nepoti librum restituendum esse primus censuit (3), tribus annis post Dionys. Lambinus, scriptore a. 1569. edito eandem coniecturam recepit; atque plane omisso Aem. Probo Corn. Nepotis nomen libri titulum occupavit inde ab editione Rob. Keuchen ann. 1658.

Argumentis Lambinus usus est, quibus ad rem expediendam maxime opus erat, adeo ut hanc quaestionem semper in iisdem versari oporteat. Namque auctor Pomponium Atticum statim ab initio libri nominatim appellat eique opus suum inscribit; et congruunt cum hac ratione optime, quae in fine Catonis et in vita Attici de mutua eorum caritate dicta sunt. Alterum argumentum est, quod illud dicendi genus Theodosiani aevi non esse apparet: nam refert sane antiquam simplicitatem, quam prae inani ac putido verborum tumore dudum contemnere coeperat posterior aetas. Multum quidem abest ut cum Ruhnkenio faciamus, quem Wyttenbachius Cornelium nativae venustatis causa secundum Ciceronem maxime miratum esse narrat; pariterque Lambinus, Muretus, alii abunde laudant libri suavitatem, leporem, elegantiam, quae ad Caesaris et Ciceronis dicendi genus prope accedat. Certe qui Ausonium, qui Symmachum, qui Panegyricos legit, is largiri non dubitabit, tam simplicem esse eius libelli sermonem, tam liberum ab adulatorio dedecore, eam in auctore Graecarum literarum peritiam, ut in eandem aetatem referri nequeat. Multi praeterea in his vitis loci reperiuntur, quorum sententia manifesto ultimis reip. temporibus i. e. Ciceronis et Attici aetati accommodata est, quum penes populum aliqua potestas, non unius omne imperium esset (4). — Adde quod aliquoties aliorum Cornelii librorum mentio infertur (5).

Haec igitur argumenta num qua ratione confutari possunt? Nam Aemilium Probum cum T. Pomp. Attico conciliari posse nemo sperabit; quippe illud non priscorum temporum nomen est, sed multo posteriorum; nec meliore eventu alium Atticum quaeras, qui Probi aequalis dici possit. Itaque nisi Aem. Probum eiiciamus, necesse fuerit, ut duobus viris opusculum dedicatum credamus, quorum Atticus in praefatione, Theodosius in versiculis ad finem annexis nominatur. Ac fuerunt, qui propterea de par-

---

(1) v. dissert, p. 6. et Zeitschft. f. Alterth. 1839. p. 1253. (2) De hoc v. Claudian. Carm. prim.

(3) index Lucret. s. voc. refutatus. (4) cf. Milt. 6. 8. Thrasyb. 2. Dion. 9. Epam. 10. Chabr. 3. Ages. 4. Eum. 3. 8: qui loci cum aliis aperte docent vidisse auctorem vergentis reip. tempora, eumque libertatis sensum prae se tulisse, qui Theodosiano aevo penitus extinctus fuit.

(5) cf. Dion. 3. de Regg. 1.

tiendo opere cogitarent (1). — Atqui se ipse Probus non auctorem, sed librarium haberi vult, si recte interpretamur poematii exitum (2); et produnt insuper hi versus ingenium tam rude atque ineptum, ut eundem quem vitae auctorem habere non possint.

Quae quum ita sint, et in tanta vitae Attici et Catonis cum reliquis similitudine, quantumvis inviti cogi videmur, ut aevo Ciceroniano a Corn. Nepote hunc libellum scriptum esse concedamus. Nam quod nulla eius vestigia in aequalibus posteriorisque aetatis scriptoribus inveniuntur, id magnopere curandum non est. Quodsi Tacitus atque Velleius rarissime laudantur, quid miramur libro tantuli pretii idem accidisse? praesertim si pars operis maioris fuit de viris illustribus, quod saepius citatur. At nescio an huius silentii causa potius ex operis exilitate repetenda sit: quae vereor ne tanta sit, ut inde orsus argumenta, quae supra pro Cornelio attuli, omnia nunc infirmare debeam.

Nam etsi quod consilium secutus sit auctor non aperte indicatur, facile tamen perspicitur, non tam id eum egisse, ut integras vitas enarraret, quam ut fortitudinis, iustitiae, pietatis, denique omnium virtutum exempla et virorum illustrium eximia facta ostenderet, in quae alii intuentes aemulationis materiam haberent (3). Quam temporum, morum, rerumque gestarum comparationem aut commodius instituì arbitratus est, si Romanis exteras tantum gentes proposuisset (4), aut Romanorum imperatorum vitas non solum oblivioni traditas esse, sed plane interiisse temporis iniuria statuendum est, priusquam maiore studio totus hic liber inter homines divulgaretur. Postremae huic opinioni suffragantur verba quae extrem. Hannib. leguntur: „sed tempus est huius libri facere finem et Romanorum explicare imperatores, quo facilius collatis utrorumque factis qui viri praeferendi sint, possit iudicari."

Iam vero praeclarum illud consilium age inspiciamus, quomodo exsecutus sit auctor. Possit quis haerere, utrum noluisse, an non potuisse eum aliter in opere proposito agere dicat. Non fugit eum quidem quo discrimine internoscantur vitae enarratio et iusta historia: at quis credat, aut virtutis eum stimulos legentium animis addere potuisse, aut virorum cum viris conferendorum copiam fecisse tam exili vitarum adumbratione, qua sive consulto sive negligenter agens gravissimas res omisit, expositis aliis satis copiose atque additis haud raro supervacaneis. Velut Epaminondam exorsus

(1) cf. Nissen. dissert. p. 3.

(2) *„Corpore in hoc manus est genitoris avique meaque:*
Felices, dominum quae meruere, manus!"

(3) Attende singulorum initia; e. g. Timoth.: „multa huius sunt praeclare facta, sed haec maxime illustria. — Chabrias Atheniensis. hic quoque in summis habitus est ducibus resque multas memoria dignas gessit; sed ex his elucet maxime. — Pelopid. 1: cuius de virtutibus dubito quemadmodum exponam."

(4) cf. Dähne disp. de Corn. N. Ciz. 1827. p. 5.

magna promittit, in quibus praestandis ineptus videtur, ut qui ne Leuctricam quidem pugnam commemoret. Neque igitur rationem iniit ad id quod voluit satis accommodatam; nam istae vitarum expositiones non sunt, sed rerum ab illustribus viris gestarum tituli et indices. Quibus quis moribus fuerit, ingenium quomodo excoluerit, ad res agendas quibus causis animus incitatus sit, nemo hinc satis cognoscet. Nacta est haec ratio nuper laudatorem suum, Schlosserum ([1]), qui Cornelii librum Sallustio oppositum esse opinatur, ut vitiosorum morum exempla virtutum splendorem e contrario obversum haberent. Istud vero est longe dispares iniquo certamine conferre.

Verum ut voluerit scriptor has res tam exiliter tractare, tamen ad ipsum historiae munus vires eum parum exercitatas attulisse res relatae commonstrant. Siquidem tot erroribus inquinatae sunt hae vitae, ut levissime auctorem rerum gestarum studia attigisse, eiusque iudicii, quo res traditas dignoscere debebat, plane expertem fuisse arguant. Etenim et res et homines diversos, sed qui idem nomen haberent, misere confundit, temporum rationem falso constituit, easdem res aliis locis contrario modo narrat ([2]). Habent talia aliquam excusationem: raptim et memoriter Cornelium scripsisse, aliis quam ceteros ducibus usum esse aiunt, ac ne Livium quidem gravibus erroribus carere. Ita vero quid non excusabitur? Imo haec est libelli tenuitas, tanta insunt vitia, ut Ciceronis vel Augusti aetate indignissimus videatur: quo literarum Romanarum aevo florentissimo qui historiae scribendae operam dabant, eos omnes et eruditiore mente et animo elatiore, denique maiore arte instructos fuisse intelligimus, quam qui in gravissimo opere tam ieiune, ne dicam pueriliter agere possent. Nullum librum in lucem tum emissum esse credo, qui aliquam cum hoc similitudinem habeat. Haec igitur libri exilitas est, qua, licet cetera argumenta contemnantur, necessario in posteriora tempora detruditur ([3]). Neque potuit Cornelius, qualem et ex aliorum librorum reliquiis, et ex veterum testimoniis, atque ex summorum hominum familiaritate novimus, aut haec ita scribere, aut, si scripsisset, sperare aequalium quemquam ea lecturum esse. Nam etiamsi summae auctoritatis scriptor non fuerit ([4]), tamen quod eum, aliis ob diligentiam laudatum, Plinius nimiae credulitatis incusat ([5]), id ad diversum rerum genus pertinet. Atque in primo statim operis limine cognoscitur, quantopere haec scribendi ratio illi aetati repugnet. Atticumne, hominem Graecae eruditionis plenum, eas res doceri debuisse credimus? Iterat easdem Epam. init. quasi oblitus quae antea dixisset. Elocutio ut Theodosianum aevum non redolet, quod supra concessi-

---

([1]) Universalhist. Übers. 2, 2. 565. ([2]) Eorum, quae in historia, chronologia, geographia peccavit, exempla congesserunt Wetzel vit. Corn. p. 15. Dähne p. 8-10. Wiggers Quaestt. de Alcib. 1833. Freudenberg Quaestt. hist. 1839. alii.

([3]) cf. E. de Leutsch, Zeitschrift f. Alterth. 1834. N. 22. ([4]) cf. Ranke l. l. p. 25. 29.

([5]) Plin. N. H. 3, 18. 5, 1.

mus, ita ab Augustei aevi integritate atque arte aliena est. Singulas autem voces et sententiarum conformationes qui defensitant ([1]), Raphelii pietatem imitantur, qui Novi Testamenti orationem Xenophonteam esse demonstrare studuit.

Haec iam cuncta considerantibus animus sine dubio inducendus est, ut scripsisse Corn. Nepotem de imperatorum Graecorum et Romanorum vitis credamus, ex quo opere aetate deteriore hic quem nunc habemus libellus aliena eaque importuna manu, non tam Aem. Probi, quam ante huius tempus, alius hominis inficeti confictus sit. Nam quum immensa literarum copia tamquam hereditas ad posteros pervenisset, ingenii viribus sensim tantopere carere coepit aetas, ut illis copiis uti nesciret, nisi ad suam tenuitatem corruptis ([2]). In hunc modum iam ab antiquioribus Fannium, Cael. Antipatrum ([3]), deinde Sallustium, Livium, Ciceronis epistolas, Trogum Pompeium, Val. Maximum aliosque in epitomen redactos esse scimus. In Nepote vero statim praefatio, neque parum extrema eius verba epitomen prodere videntur: quibus accensendi sunt loci Epam. 4. ([4]), fin. Alcib., fin. de Regib. — Ex integro igitur opere, ipsius Cornelii personam non exuens, novus auctor quas voluit vitas desumpsit, reliquarum ordine servato, sed omissis praeterea aliis rebus, quas minus commodas duceret, aliis pro sua ratione interpolatis ([5]). Hinc factum est, ut Plutarchus lectores ad auctoritatem Cornelii remittere posset, cuius tamen in his vitis contraria opinio comparet ([6]). In singulis autem accurate definiri non potest, quo processerit illud excerpendi negotium: Catonem immunem fuisse, quae est huius vitae conditio, credibile non est, nisi forte eius extrema pars aliquem movet; unus Atticus manum interpolatricem non expertus videri possit ([7]). Sed eidem librario verisimile est libri inscriptionem deberi: Cornelii enim opus in hoc genere singulare et aliud ac quod supra attigi „de viris illustribus" veteres non memorant.

([1]) cf. Dähne l. l. p. 10. sqq. — Similitudinem, quae est inter prim. praefat. et Cic. de fin. init. non urgeam. Et Handium miror, qui (Tursellin. 3. p. 615) propterea quod Dion. 1. *non minimum* positum sit pro *admodum, valde*, de auctore libri dubitandum esse censet. Non spernimus quidem minutas eiusmodi res: at illud, etsi prorsus idem frustra in elegantioribus libris quaeritur, tamen praeter morem probatissimorum scriptorum dictum non est. Maioris momenti universam orationis formam habendam esse patet. cf. Nissen. l. l. p. 10.

([2]) cf. F. A. Wolf. Cic. Marcell. xxxiv. — E. de Leutsch. l. l. p. 181. Ceterum de Cornelii epitome inde a Casp. Barthio plures suspicati sunt. v. Voss. de h. l. 1, 14. Bardili ed. Staver. p. cii. Nissen. l. l.

([3]) Cic. ad Att. 13, 8. 12, 5. ([4]) „plurima quidem proferre possemus, sed modus adhibendus est, quoniam uno hoc volumine vitam excellentium virorum complurium concludere constituimus, quorum separatim multis millibus versuum complures scriptores ante nos explicarunt."

([5]) Aliorum negligentiam in epitomis conficiendis notat Perizon. animadv. hist. p. 382. p. 76. — Gruter ad Capitolin. Clod. Albin: „interim deploro fatum bonorum auctorum, quibus per carnifices epitomatores necesse est perire."

([6]) cf. Nissen. l. l. p. 7. 8. ([7]) Ne huic quidem parcit Held. prolegg. ad vit. Att. Vratisl. 1826.

Est in literis Latinis aliud exemplum huic consimile, sed in quo luculentius illa corrumpendi ratio perspicitur. Caesares dico ex Aurelii Victoris libro, quod etiam nunc habemus, in epitomen contractos. Insunt permulta ex Victore ad verbum transscripta; alia omisit quicunque hanc operam instituit, eorumque loco inseruit aliunde sumta, quae rerum ordinem et veritatem non semel mirifice turbant. Pluribus de hoc infra agendum erit.

Atqui ipsum Cornelium, quum multorum vitas in unum corpus coniungeret, brevitati studuisse consentaneum est, quo nomine ab Hieronymo ([1]) laudatur; quod concedentes tamen nostrae sententiae nihil officimus, quadrat enim huc illud: duo quum faciunt idem, non est idem. — Restat ut, quem in finem opus sic comparatum videatur, paucis moneam. Quodsi reputamus, omnem historiae scribendae artem abesse, virtutis autem celebrandae summum consilium manifesto inesse, insolentioribus et rebus et vocibus additam esse interpretationem, facile adducimur, ut iis assentiamur, qui librum scholarum usibus destinatum putant ([2]). Obiiciat quis, in ipsa rerum congestarum brevitate maiorem difficultatem esse, quae peritioris vocem et explanationem desideret, neque convenire tali consilio aliorum scriptorum nomina et locos, eruditionis quasi testes productos, atque ne verecundiae quidem, quae pueris debetur, satis consultum esse ([3]): verum haec omnia in hominis inscite agentis ingenium cadere arbitror. Neque satis valet ad evertendam hanc sententiam unus in Lysandro (c. 2.) locus, ubi, ne de eodem viro plura enumerando defatiget lectores, se vereri ait; unde possit quis librum in vulgarium hominum usum ac delectationem compositum putare ([4]). —

Sed ex ordine instituto reliquos nunc persequar. Extremis quoque reip. temporibus multos de rebus, quibus gerendis ipsi interfuissent, commentarios scripsisse partim in summorum virorum memoriam, partim ut temporis monumenta relinquerent, hic in transcursu addam, quoniam eiusmodi libri ad causam nostram non proxime pertinent. Inter praecipuos nominantur: *Dellius*, qui utrum Graece an Latine Antonii Parthicam expeditionem narraverit, ambigitur. v. Strabo l. 11. p. 360. Plutarch. vit. Anton. c. 59. Vossius Graecis eum adnumerat. — *Asinius Pollio* Latinam bellorum civilium historiam composuit ([5]). — Simili *Messallae Corvini* opere multum usus est Plutarchus, incertum utro sermone scripto ([6]). —

([1]) praefat. libr. de histt. ecclesiast. ([2]) cf. imprimis H. Meyer Zeitschft. f. Alterth. 1835. N. 130.

([3]) vit. Dion. 4. ([4]) Hoc loco praetermittendum non est, Corn. Nepotis nomen saepius in simili librorum genere adhibitum esse, unde maioris dignitatis species scriptis adsisceretur. Ita Latinus interpres Graeci Daretis nomen sibi dedit Corn. Nepotis, cuius nomine ad Sallustium Crispum epistola scripta Latinae Daretis interpretationi fere praemittitur. v. Dederich Dictys Cretens. p. xxı.

([5]) Tac. Ann. 4, 34. cf. Thorbecke de Asin. Poll. p. 111. 119. ([6]) De hoc uberius egi dissert. de Mess. Corv. 1828. p. 71.

Singulari libro M. Antonii triumviri vitam et laudes tradidit *Anser* poeta, familiaritate cum eo coniunctus. Serv. ad Virg. ecl. 9, 36. Frequens in eius nomine lusus, v. Voss. de h. l. 1, 17.

Oct. Augustus vitae Drusi memoriam prosa oratione composuit, non contentus elogium tumulo eius versibus a se compositis insculpsisse. Suet. Oct. 28. Haec autem Suetonii commemoratio prohibet, quominus eam Drusi mortui laudationem putemus fuisse, qualem et in Claud. Marcelli funere ita pronuntiaverat Augustus, ut etiam a claris gentis auctoribus eius gloriam repeteret ([1]).

C. Iul. Hyginus, Augusti libertus, familiarissimus Ovidio poetae, Palatinae bibliothecae praefectus ([2]), cuius nunc libri mythologici extant. Idem de vita rebusque illustrium virorum complures libros edidit, quorum mentio est apud Gellium 1, 14: neque alio retulerim P. Scipionis Afr. vitam, de quo v. Gell. 7, 1. Hos libros duodecimo saeculo nondum perditos fuisse, colligitur ex loco Ioh. Sarisberiens. Nug. Curial. 5, 7. de Fabricio. — Praeterea Hygini in hoc genere genealogiarum et exemplorum libri commemorantur. Patet igitur Hyginum similem Corn. Nepoti operam in his literis posuisse, cui propter vitas in ordinem digestas breviterque expositas adseritur ab Hieronymo l. l.: „fecerunt hoc apud Graecos Hermippus peripateticus ... apud Latinos autem Varro, Santra, Nepos, Hyginus et, ad cuius nos exemplum vis provocare, Tranquillus."

In qua enumeratione si temporis ordinem observavit Hieronymus, non hoc mihi loco, sed ante Nepotem collocandus fuit *Santra*. Scripta eius saepe laudant Festus, Nonius, alii; neque tamen de aetate et vitae conditione certi quidquam eruere potui ([3]). Ex nomine coniicias eum libertum fuisse. In Terentii vita Santrae testimonium adhibetur a Suetonio c. 4.

Caesarum vitas permulti scripserunt Romani et Graeci. Ex his Plutarchus quoque singulos usque ad suum tempus persecutus erat ([4]).

Rerum Augusti plurimi testes ([5]) et amici et liberti. Horum *Iul. Marathum* patroni sui, cui a memoria fuerat, vitam perscripsisse ex Sueton. Oct. 79. 94. colligimus. Etiam *Ciln. Maecenatem* Augusti Caesaris gesta descripsisse ex Horat. carm. 2, 12. 10. refert Serv. ad Virg. Georg. 2, 42. Confirmat rem Solinus c. 18; et a Plinio N. H. 7, 45. cum Maecenate *Agrippa* de rebus Augusti testis advocatur. De *Aquilio Nigro*, cuius testimonio Sueton. Oct. 11. utitur, num Augusti vitam scripserit, v. Vossium de h. l. incert. aet. init.

([1]) cf. Heeren de fontib. Plut. p. 124. ([2]) Sueton. de illustr. gramm. 20.

([3]) Nuper Lerschius ex ratione non plane improbabili med. saec. 7. a. u. c. eum vixisse statuit. v. Zeitschrift f. Alterth. 1839. p. 100.

([4]) cf. Wyttenb. Not. opp. Morall. 2. p. 401. ed. Lips. — De Nicolai Damasc. vit. August. v. Suidas, et Fabricii temp. Aug. notatio.

([5]) v. Tac. Ann. 1, 1. Fabricius l. l. p. 62.

Cremutius Cordus, qui sub Tiberio accusatus, quod editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixisset, vitam inedia finivit, ac virtutis suae egregium laudatorem invenit Tacitum, praeter bellorum civilium historiam, quam Augusto audiente recitasse traditur (1), ipsius Augusti res separatim et posteriore tempore persecutus est; v. locum quem inde affert Suet. vit. Octav. 35. — Inter auctores de vita Augusti Suetonius (Oct. c. 94.) *C. Drusum* nominat, ipsius Augusti aut Tiberii sine dubio aequalem, de quo praeterea nihil constat.

Velleius Paterculus, legatus Tiberii bello Pannonico, eiusdem Imperatoris res quum in illo „opere reciso" summatim retulisset, iustis i. e. amplioribus voluminibus se persecuturum esse pluribus locis ostendit. cf. hist. 2. 99. 103. 114. Nam ea est horum locorum ratio, ut ad solum Tiberium pertinere videantur. Num exsecutus sit consilium, ignoramus.

M. Cluvius Rufus a. p. Chr. 45. sub Imp. Claudio cos. suffectus, res Neronis memoravit, nisi rectius de universo suo tempore eos commentarios fuisse credas (2). Idem de *Fabii Rustici*, eloquentissimi auctoris, libris iudicandum est, qui Claudii ac Neronis aequalis, aetatis suae memoriam consignavit.

Iul. Secundus unus ex iis, quos auctor dialogi de causs. corr. eloq. (c. 2.) colloquentes facit, Julii Asiatici vitam componendo spem fecerat plurium eiusmodi librorum. v. dial. c. 14. Aetas est Imp. Vespasiani.

Thrasea Paetus, stoicae disciplinae magnum decus, Catonis Uticensis vitam edidit (3) tempore Neronis, qui, ut Tacitus ait, trucidatis tot insignibus viris ad postremum virtutem ipsam exscindere concupivit interfecto Thrasea Paeto et Barea Sorano. Ann. 16, 21.

C. Plinius maior, qui a. p. Chr. 79, in Vesuvii conflagratione periit, huc referendus est non propter res gestas Neronis historiarum libris congestas, quem multi singularem librum fuisse putant, quum pars esset perpetuae sui temporis memoriae, sed quod de vita Pomponii Secundi (4) poetae duos libros contexuit. v. N. H. 14, 4. 4. (add. 2, 83. 103. et praefat. ad Vespas.).

Iun. Arulenus Rusticus (5) quod vitam Thraseae (6) laudibus extulisset appellassetque eum sanctissimum virum, Domitiani saevitia interemtus est. v. Suet. Domit. 10.

Thraseae generum, Priscum Helvidium (7) libris de eius vita editis *Herennius Senecio* laudavit, quod et ipsi, Metio Caro delatore, capitale fuit (8). Scripserat autem

---

(1) Tac. Ann. 4, 34. sqq. Suet. Tib. 61. (2) Tac. Ann. 3, 20. [illegible], 2. ibiq. Lips. Hist. 2, 58. 65. Plut. Otho 3. De Fab. Rust. Tac. 13, 20. 14, 2. 15, 61.

(3) Plutarch. Cat. min. c. 37. (4) cf. Tac. Ann. 5, 8. Dial. de or. 13.

(5) Tac. Ann. 16, 26. (6) Tac. Ann. 16, 34. 35. Schol. Iuvenal. 5, 36.

(7) Tac. Hist. 4, 5. sed adde Dio Cass. 66, 12. (8) Tac. Agr. 2. Plin. epp. 7, 19. 1, 5.

rogatus a Fannia, Helvidii uxore, commentarios eius suppeditante. — In hac vita memoranda maiore fide dignus erit Tacitus quam Suetonius, qui utriusque libri Arulenum auctorem facit. L. Walchius quidem ad conciliandum cum Suetonio Tacitum, non potuisse dicit Arulenum de Thrasea scribere Helvidio plane neglecto (1): at aliud hoc est, aliud utriusque laudes edere; accedit quod cum Tacito Dio Cassius (67, 13) ita consentit, ut Herennio omisso unius Thraseae per Arulenum laudati mentionem inferat (2). Et cum Aruleni quam Herennii maior fama esset, in simili causa commemoranda alterius scriptorem Suetonius facile omittere potuit. Porro quod Walchius quaerit, utrum priore aetate, an senes, tempore per Domitianum virtuti infestissimo scripserint, aptius quidem videtur recenti facto saevam principis ultionem provocatam credere: verum obstat Tiberii exemplum, qui Cremutium Cordum ob annales iam Augusto audiente recitatos reum fieri passus est (3).

Possit referri ad hoc scribendi genus etiam *C. Fannius*, cuius immaturum obitum luget Plinius ep. 5, 5. Absolverat enim exitus occisorum et relegatorum a Nerone tres libros, subtiles et diligentes atque inter sermonem historiamque medios. Adhibent eius testimonium Tacitus, Suetonius, alii.

Eiusdem Plinii aequalis *Cl. Pollio* Musonii Bassi philosophi „memoriam tam grata praedicatione prorogavit, ut librum de vita eius ederet." Plin. epp. 7, 31.

Corn. Tacitus temporis, quo Agricolae soceri sui vitam composuerit, accurate definiendi copiam facit cap. 3: „nunc demum redit animus, ... primo statim beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuit, principatum ac libertatem, augetque quotidie felicitatem imperii Nerva Traianus." — Nam ex eo, quod Nervae nomini non additum sit *Divus* iure colligitur (4), Tacitum de Nerva etiam tum vivo loqui: quare quum Traianum Nerva a. p. Chr. 97. a. d. 14. Cal. Octbr. adoptasset, ipse autem anno 98. ineunte decesserit, Agricolam Tacitus intra hoc temporis intervallum scripsisse putandus est. Praeterierant quidem quatuor vel quinque anni post soceri mortem: at Tacitus, temporum bene gnarus, num prius pietati suae satisfacere potuisset? — Idem num, quod Ann. 3, 24. promittit, historiam Augustam expleturus, Caesaris Augusti vitam et res gestas singulari libro memoraverit, certis vestigiis non cognoscimus, nisi quis quae Orosius (7, 3.) expressis verbis e Tacito affert, inde sumta esse credit. Nec magis constat de Nervae et Traiani rebus (5), quam uberiorem securioremque materiam senectuti seposuerat, praesertim quum ne id quidem certo sciamus, quando ipse Tacitus vita excesserit. Erat in iis locus Plinio simul satisfaciendi, qui epistola ad Tacitum data (7, 33.) se vehementer cupere ostendit, ut historiis eius insertus posteritati commendetur.

---

(1) ad Tac. Agr. p. 116. (2) cf. Reimarum p. 1111. (3) cf. Niebuhr kl. Schriften p. 333.
(4) Walch Tac. Agr. p. 121. 123. (5) cf. Hist. 1, 1.

Tacito succedit *C. Suetonius Tranquillus*, tempore proximus, ingenio et arte longissime seiunctus. Imperatori Hadriano epistolarum magister fuit, idem Plinii minoris amicitia insignis. Impendit autem homo literatissimus huic literarum generi operam plurimam: et imprimis duodecim priorum *Caesarum* vitis non sine diligentia et cum rerum privatarum atque adeo minutarum praecipua cura enarrandis multorum laudem et imitationem invenit. Constat sibi quidem in rerum copia ordine quodam et per certas species disponenda ([1]), sed in singulis partibus saepe inde recedit, neque efficere valuit ratione sua, ut factorum causae et hominum ingenia pernoscerentur. Permulta studiose congessit, quae vel ab aliis notata inveniret, vel ex narrantium ore excepisset: verum desiderabat illa materia peritiorem artificis manum. Sermo relatarum rerum simplicitati convenit, neque elegantia commendatus nec incommodo ornatu laborans, imo ieiunus et quotidianum usum referens ([2]). Propter hanc igitur mediocritatem neque laudandus nimis, tamen a quibusdam acerbius notatus est. — Imperatorum vitae, vulgo octo libris comprehensae ([3]) paene integrae ad nostram aetatem pervenerunt; reliquarum vitarum tantum partes mutilae et multum depravatae ex maiore opere de virorum literis clarorum memoria servatae sunt. *Illustrium grammaticorum* viginti brevissimae vitae, sive potius res quedam memorabiles, librorumque scriptorum notationes extant. *Claros rhetores* secundum veterem nominum indicem sedecim eodem modo memoraverat, quorum quinque supersunt. Assignantur praeterea eidem Suetonio aliquot *poetarum vitae*, quae ex integro opere ab aliis excerptae et varie interpolatae videntur. Ampliorem operis formam cognoscimus, si quae Isidor. Orig. 8, 7. de poetis ex Tranquillo sumta leguntur, huc referenda sunt. Suetonium autem harum quoque vitarum auctorem facile agnoscimus, quum res ex aliorum scriptis curiose collectas, tum sermonis indolem considerantes; maxime perspicua haec similitudo est in Horatii, Terentii, Persii vitis. Omnium autem, quales nunc sunt, communis est ea exilitas, quae hominem prodit, quid in poetis scitu dignum sit minime intelligentem, sed levissima quaeque consectantem.

Terentii vitam vulgo Donato adscriptam Suetonii esse, J. J. Scaliger Euseb. p. 144. ex dicendi genere docuit. *Horatii* vita non minus Suetonii ingenium refert; accedit Porphyrionis testimonium non spernendum, qui schol. ad Hor. ep. 2, 1. init. addito Suetonii nomine quaedam ex hoc libello affert, nisi quis ea ex integro Suetonio desumta esse putat ([4]). — Et ab his duobus *Persium* minime seiunxerim. — Neque de *Lucano* brevis notitia et acerbitatis plena prorsus dissimilem rationem ostendit. — *Juvenalis* vitam ex hoc numero eximere conantem Salmasii auctoritas deterret, qui Plinian.

([1]) cf. quae ipse de suo narrandi genere dicit, vit. Oct. c. 9. 61.

([2]) v. Casaub. ad Suet. Caes. 16. ([3]) v. Suidas Τραγκυλλ. ὁ Σουητ.

([4]) Porphyr. ad Sat. 1. 6. 41. se quoque Horatii vitam scripsisse testatur.

Exercitatt. p. 320. probat, non alium quemquam praeter Suetonium singularia illa de vita et scriptis Juvenalis nosse et in literas referre potuisse. Quae sententia uti commodis argumentis nititur, ita non prohibet, quominus hanc particulam tantum plenioris memoriae esse credas. — In codicibus nonnullis harum (Persii, Lucani, Juvenalis) vitarum auctor Valerius Probus grammaticus nominatur, ut possis suspicari, hunc quae Suetonius scripserat, retractasse, quandoquidem posteriorum grammaticorum multos ex Suetonii opere hausisse, sed res pro suis rationibus commutasse satis credibile est. Pro certo aliquid in hoc genere pronuntiare non licet. Multorum scriptorum et poetarum imprimis vitae, brevi plerumque comprehensae, in codicibus adscriptae inveniuntur, auctoris nomine fere omisso: eas grammaticorum studiis deberi perspicuum est; sed citius dixeris, a quo non scriptae, quam cui sint attribuendae. — Non magis de *Virgilii* vita constat, quam alii Servii (¹), sed plerique *Donati* nomine inscribunt; is num Ael. Donatus sit, qui med. saec. 4. floruit, an Tib. Claud. Donatus, posterioris aetatis grammaticus, parum liquet; Ael. Donato, homine doctissimo, indigna videtur. Priorem autem partem legenti permulta Suetoniani sermonis indicia apparent, nisi quod ceteris poetarum vitis multo est copiosius scripta, sed variis rebus ita cumulata, ut facile tibi persuadeas, quae Suetonius brevius composuerat, postea grammatici alicuius industria in hunc modum amplificata esse. — *Plinii* vero maioris memoriam admodum negligenter conscriptam Suetonio non adiudicabit, qui eius morem et dictionem noverit. Scripsisse eum de Plinii vita vestigia sunt, unde de hoc fetu error natus est (²). — Ausonius ep. 19. Suetonii libros tres de Regibus commemorat, et Suidas opus de illustribus familiis Romanorum, ϛέμμα Ῥωμαίων ἀνδρῶν ἐπισήμων. — Denique libellum de viris illustribus, nunc Aurelii Victoris nomine inscriptum, quum de auctore dubitaretur, ad Suetonium quoque relatum esse, non miramur. Eo magis in promtu error, quod integrum illud de scriptoribus opus „de literarum viris illustribus" aliquando nominatum erat (³). Nec temere coniicimus, ad hunc Suetonii librum maxime pertinere, ut eius ambitus inde cognosci possit, quae Hieronymus ad Augustinum (⁴) scribit, nunquam epitaphium titulum veteres vitis scriptis indidisse, sed „de illustribus viris, verbi gratia ducibus, philosophis, oratoribus, historicis, poetis, epicis, physicis, tragicis, comicis." —

Antoninorum Pii et Marci tempore, quum Graecae potissimum literae Romae foverentur, hoc quoque historiae genus tractatum est; sed quam inepte, unus docet *Amyntianus*, de quo Photius cod. 131: παραλλήλους συνέθηκε βίους, ὥσπερ Διονυσίου καὶ Δομιτιανοῦ ἐν δυσὶ λόγοις, Φιλίππου τε Μακεδόνων καὶ Αὐγούϛου ἐν ἑτέροις δυσίν.

(¹) v. Meibom. Maecen. p. 89. (²) v. Casaub. animadv.
(³) v. Hieronym. praef. Catal. scriptt. eccles. init. (⁴) epp. ed. Bas. Frob. 2. p. 337.

Excipiunt Suetonium *Scriptores Historiae Augustae* sex, quorum voluminibus vitae Imperatorum inde ab Hadriano usque ad Carinum comprehenduntur. Produnt hi libri propemodum omnes tantam ingenii imbecillitatem, ut neglectae tertio et quarto post Chr. saeculo eruditionis et artis maius documentum vix reperiatur. Unus Fl. Vopiscus prudentiore rei instituendae ratione, sermone autem aliquanto magis custodito ceteros antecellit. Sed quot harum vitarum auctores putandi sint, parum constat, quum illud vel primum inspicienti intelligatur, ad minorem numerum eos redigendos esse; nequedum post diligentes Dodwelli (¹) et Heynii (²) curas ea quaestio absoluta est. Codicum ope quum in hac re plane destituimur, ex interioribus librorum rationibus iudicandum erit. — Trebellio Pollione et Flav. Vopisco extra disceptationem positis, quorum indubitatae in his libris partes sunt, primo de quatuor reliquis agamus. Atque hi iusto ordine se non excipiunt, sed scribendi vices varie inter se commutant, ita tamen ut Ael. Spartiani et J. Capitolini maior operis pars sit.

Ordine primus est *Ael. Spartianus*, qui ad Imp. Diocletianum Hadriani, Ael. Veri, Did. Juliani, Severi, Pescennii Nigri vitas perscripsit; Antonin. Getae ad Constantinum Aug.; eiusdem est Ant. Caracallus: nam horum duorum non varios auctores esse ex libris inter se collatis perspicitur (³). Etiam priorum, qui Hadriano antecesserunt, Imperatorum vitas ab eo narratas fuisse, ipsum testem habemus vit. Ael. Ver. c. 1., quo loco ampliora scribendi consilia aperit (⁴). — *Jul. Capitolinus* ad Diocletianum vitas Antonini Pii, Philosophi, L. Veri, Pertinacis, Albini misit. Praeter has eius nomini assignantur Macrinus, Maximini duo, Gordiani tres ad Constantinum Aug. (incertum utrum Magnus is sit, an eius pater); Maximus et Balbinus. Post Macrinum Diadumenus *Ael. Lampridio* adscribitur, quum tamen utriusque libri facile idem auctor agnoscatur, neque secundum omnem eorum librorum indolem a Caracallo usque ad Heliogabalum plures scriptores distinguere liceat (⁵). Quid multa? Iis sine dubio assentiendum est, qui Ael. Spartianum ab Ael. Lampridio diversum non esse putant, ut fuerit fortasse plenum eius nomen Ael. Lampridius Spartianus. Ael. Lampridium cum J. Capitolino inter eos, quorum exemplum sequatur, laudat Fl. Vopiscus Prob. 2., quo loco in magno etiam viliorum numero Ael. Spartiani mentio non est. Neque *Vulcatius Gallicanus* sine controversia locum suum obtinebit. Vulgo ad eum auctorem refertur

---

(¹) Praelectt. Cambdenian. init. (²) Censura scriptt. H. A. Opusc. acad. 6.

(³) v. Salmas. ad Get. 1. (⁴) cf. c. 7: „de Vero idcirco non tacui, quia mihi propositum fuit omnes, qui post Caesarem dictatorem, hoc est Divum Iulium, vel Caesares vel Augusti vel Principes appellati sunt, quique in adoptionem venerunt, vel Imperatorum filii aut parentes Caesarum nomine consecrati sunt, singulis libris exponere meae satisfaciens conscientiae, etiamsi multis nulla sit necessitas talia requirendi."

(⁵) cf. Salmas. ad Macrin. 1. ad Diadum. 1. et 6.

Avidii Cassii vita, quam antiqua horum librorum excerpta Palatin. Spartiano attribuunt ([1]). Cap. 3. auctor consilium profitetur, quod et Spartiani et Capitolini fuisse novimus: „proposui, Diocletiane Auguste, omnes qui Imperatorum nomen sive iuste sive iniuste habuerunt, in literas mittere, ut omnes purpuratos Augustos cognosceres." Verum hoc tale negotium eodem tempore a tribus scriptoribus, ratione ne minimum quidem diversa, aut sponte ([2]), aut ab iisdem principibus mandatum susceptum fuisse, quis credat? At paulo tersior est Gallicani oratio et quaedam accuratius quam priores persequitur. Quarum rerum difficultas nescio an apte expediatur, si statuamus, Spartianum et Capitolinum alias harum vitarum ipsos conscripsisse, alias, quae iam scriptae extarent, ad consarcinandum integrum opus assumsisse paululum pro consilio suo immutatas ([3]). Inter ipsos autem Spartianum et Capitolinum licet iam non interveniat Lampridius, de singularum vitarum auctoritate minime convenire iam supra monui. Neque enim alius est, qui Clodium Albinum, quam qui Pescennium composuit: conf. Albin. c. 1. cum Pescenn. c. 8. Adde quod optime congruit, qui res Iuliani et Sept. Severi narraverit, eundem et de Pescennio Nigro et de Clod. Albino scripturum fuisse. Pariter de Gordianorum auctore num idem sit, qui librorum proxime praecedentium, dubitatio inter legendum oritur; nec L. Verum Capitolini esse pro certo affirmaverim. A sermone ad distinguendos Spartianum et Capitolinum argumenta frustra petuntur: nam in hos certe cadit, quod Salmasius ([4]) de pluribus dicit: „eadem in multis prope verba, ut si diversi sint auctores censendi, uno veluti ore locuti videri debeant."

Trebellius Pollio, qui eiusdem aetatis fuit ([5]), a duobus Philippis usque ad Div. Claudium et eius fratrem Quintillum, Imperatores tam claros quam obscuros memoriae prodidit ([6]): quorum supersunt Valerianus pater et filius, Gallieni duo, triginta tyranni ([7]), Claudius. Horum non vitas, sed res maxime memorabiles breviter exponit, ipse sentiens, si alio modo ageret, „indigna fastidia nasci." Saepe testatur, in scribendo animum se habuisse ab omni adulatione vacuum, nihil se unquam cogitasse, dixisse, fecisse gratiosum: qua confessione conscientiam suam prodit ([8]); sed non est, quod inde colligatur, hanc secundam librorum editionem esse, ab ipso auctore recognitam ([9]). Dicendi genus Capitolino et Spartiano praestat, etsi Pollio se non tam diserte scripsisse ait, quam fideliter; neque enim se eloquentiam pollicitum esse, sed rem ([10]).

([1]) v. Salmas. ad Avid. Cass. 1. ([2]) v. Gordian. c. 1. ([3]) cf. Salmas. ad Valerian. 1. Heyne l. l. p. 72. Bernhardy Röm. Liter. p. 279.
([4]) scriptt. H. A. t. 1. p. 439. ([5]) v. vit. Claud. c. 3. ([6]) cf. Vopisc. Aurelian. 2.
([7]) de numero v. Vossius H. L. 2, 6. Trebell. Salon. Gallien. c. 1. 3. trig. tyr. 21.
([8]) cf. Claud. 3. Vopisc. Aurelian. 2. ([9]) v. Casaub. ad tyrann. 31. Claud. 3.
([10]) v. tyr. 33. add. c. 1. et 11.

Flav. Vopiscus Syracusanus, Caesaris Maximiani tempore vixit ([1]). In prooemio iucunde narrat, quomodo Iun. Tiberianus, urbis praefectus, operis suscipiendi sibi auctor fuerit. Per eundem ex biblioth. Ulpia librorum ei copia facta est, quibus ad rem accurate conficiendam maxime opus erat ([2]). Itaque de Imp. Aureliani vita copiose exposuit; cui postea subiunxit Tacitum, Florianum, Probum, deinde „minusculos quatuor tyrannos," qui eodem tempore regnum affectaverant. Finem faciunt Carus, Numerianus, Carinus. Apollonii Tyanei vitam promittit Aurelian. 24. — Eminet autem Vopiscus inter istos scriptores, quibuscum sane facilis contentio erat, quum eruditiore in rebus diiudicandis sensu ([3]), tum consilio ad historiae dignitatem accommodatiore ([4]), quamvis in eo haud satis sibi constare videatur ([5]). Rerum relatarum fere dilucidus ordo est, et scribendi genus, si non elegans ([6]), at quam reliquorum multo emendatius. — Illi vero pro rationibus suis, si quas sequebantur ([7]), simplicem rerum continuationem multis modis turbant, nedum ut causas reconditiores explicare valeant. Omnium fere eadem consuetudo est, ut originem et affinitates ostendant, ut enumerent imperii et mortis omina vel prodigia, hominum mirifica somnia, referant crudelitatis, libidinum exempla, additis praeter levem plerumque rerum publicarum bellorumque gestorum commemorationem, quae liberaliter et sumtuose in populum principes egerint, quae acute dixerint. Ideo quum in eventorum summa indicanda et in enumerandis rebus magis quam in explicandis et disserendis operam suam ponerent, oratio ut plurimum longiorem verborum ambitum fugiens, minutis partibus continetur ac vulgaris praeterea consuetudinis negligentiam prae se fert. Neque vero iis, quae in promptu habebant, cognitionis praesidiis prudenter uti, nec quamvis interdum intelligentes, quid historiae munus posceret ([8]), ex animi pusilli ac creduli inertia emergere potuerunt.

Ex multis autem atque adeo deterioribus quibusdam hi pauci servati sunt. Nunquam enim deerant, qui cupidis hominum studiis libris in hanc rationem scribendis indulgerent ([9]) atque corrumpenda memoriae integritate temporibus servirent ([10]). Sed in magna eorum multitudine ceteri nullius auctoritatem frequentius in rem vocant, quam *Marii Maximi*. Usurpant eius testimonium Ael. Spartianus (Lampridius), Vulcat. Gallicanus, Iul. Capitolinus pluribus locis, ex quibus patet, accurate eum et copio-

---

([1]) v. Vopisc. Car. 9. ([2]) v. vit. Aurelian. c. 1. 8. 9. Tac. 8. ([3]) cf. vit. Car. 2. 3.
([4]) cf. Aurel. 22. Firm. 6. Saturnin. 11. Car. 7. add. Casaub. ad Aurel. 1.

([5]) Aurelian. 10. Procul. 12. Bonos. 14. ([6]) cf. Carian. 20. ([7]) Capitol. Gord. 21: „ea debent in historia poni ab historiographis, quae aut fugienda sunt aut sequenda." add. c. 34. fin.

([8]) v. Capitolin. Macrin. 1. ([9]) Capitol. Gord. 1: „singulos quosque Imperatores exemplo multorum libris singulis ad tuam Clementiam destinaveram: nam id multos fecisse vel ipse videram, vel lectione conceperam." — Treb. Poll. tyr. 1.

([10]) Spart. Pescenn. 1. Lamprid. Heliog. 30. 34. 35.

sissime Caesarum vitas enarrasse ([1]) a Traiano usque ad Alexandrum Severum ([2]), unde de eius aetate suspicari licet. Secundum hunc saepissime, quamquam ab uno J. Capitolino adhibetur *Jun. Cordus*, a Clod. Albino usque ad Maximum et Balbinum. Testimonium eius non affertur nisi in rebus frivolis et parum honestis, ut quarum diligentissimus investigator fuisse perhibetur ([3]), Ceterorum nomina secundum receptum scriptorum ordinem breviter recensuisse sufficiet.

Aemil. Parthenianus, Vulcat. Gall. Avid. Cass. 5: affectatores tyrannidis iam inde a veteribus historiae tradidit. — *Ael. Maurus*, Phlegontis Tralliani libertus, de Imp. Severo. Spartian. Sever. 20 ([4]). — Res gestas *Alexandri Severi*, qui et ipse „vitas principum bonorum versibus scripsit" ([5]), permulti tradiderant. v. Lamprid. c. 25. 48. 57. 59. 64. Nominatim a Lampridio adhibentur: *Aurel. Philippus*, „libertus patris, qui vitam eius postea in literas misit." c. 3. — *Encolpius*, c. 17. 48. ([6]). — *Septimius* c. 17. 48. „qui vitam eius non mediocriter exsecutus est. — *Gargilius Martialis* c. 37. add. Vopisc. Prob. 2., unus ex iis, „qui non tam diserte quam vere scripserunt" ([7]). — C. 48. *Fab. Marcellinus*, *Aurel. Verus*, *Stat. Valens* testes citantur non tam Severi quam Traiani vitae: sed videntur plurium Imperatorum res contexuisse ([8]). — *Acholius*, c. 14. 48. 68. Idem de Valeriano. v. Vopisc. Aurelian. 12. — *Tatius Cyrillus*, Constantini tempore, qui Graecas Impp. Romanorum vitas in Latinum vertit. Capitol. Maximin. 1. — *Ael. Sabinus* de Maximino, cuius aequalis fuit. Capitol. Max. 6. — *Gordianus* Imp. omnium Antoninorum laudes soluta oratione scripsit: idem adolescens Antoniniada composuerat, versibus disertissimis, libris triginta, Antoninorum Pii et Marci vitam et publice privatimque gesta perscribens. Capitolin. Gord. 3. 4. — *Vulcat. Te-*

([1]) J. Capitolin. Clod. Albin. 12: „quae qui diligentius scire velit, legat Mar. Maximum de Latinis scriptoribus, de Graecis Herodianum, qui ad fidem pleraqne dixerunt." — Vopisc. Firm. 1: „Mar. Maximus, homo omnium verbosissimus." add. Casaub. ad Hadr. 2. Attamen quale lectionis genus praebuerit, ex Ammian. Marcellino cognoscitur, qui (rer. gestar. 28, 4.) de suo tempore haec scribit: „Quidam detestantes ut venena doctrinas, Juvenalem et Mar. Maximum curatiore studio legunt, nulla volumina praeter haec in profundo otio contrectantes; quam ob causam, non est iudicioli nostri."

([2]) v. Ael. Lampr. Alex. Sev. c. 48. 30. 68. ([3]) v. Clod. Alb. 6. 11. Macrin. 1: „Iun. Cordo studium fuit, eorum Imperatorum vitas edere, quos obscuriores videbat . . . indigna memoratu reperit, asserens se minima quaeque persecuturum, quasi vel de Traiano aut Pio aut Marco sciendum sit, quoties processerit, quando cibos variaverit et quando vestem mutaverit et quos quando promoverit: quae ille omnia exsequendo libros mythistoriis replevit talia scribendo, quum omnino rerum vilium aut nulla scribenda sint aut nimis pauca." add. Gordian. min. 21. Maxim. et Balbin. 4.

([4]) Vossius H. L. 2, 2. ([5]) Lamprid. 27. Dubium num Latine an Graece scripserit.

([6]) Hunc a Petronii Encolpo diversum non esse suspicio est Niebuhrii (kl. Schriften p. 342) parum probabilis.

([7]) De hoc cf. Sidon. Apollinar. 9, 14. ([8]) Erravit Vossius H. L. l. 3. unius Severi scriptoribus hos adnumerans.

rentianus de Gordianis. Capitolin. Gord. 21. — *Valer. Marcellinus* quam historiae Augustae partem scripserit, non liquet. Capitol. Max. et Balb. 4. — *Curius Fortunatianus* de rebus Max. Pupieni et de universo illo tempore. Capitol. Max. et Balb. 14. 16. — *Palphurii Surae* ephemerides de vita Gallieni. Trebell. Poll. 18. — *Iul. Aterianus* trig. tyrannorum tempore. Trebell. Poll. Victorin. 6. — *Maeonius Astyanax*, Gallieni aequalis; de Macrian. Trebell. 12. — *Corn. Capitolinus*. Trebell. Odenat. 15. — *Gallus Antipater* de Aureolo tyr. A Trebellio Claud. 5. „historicorum dehonestamentum" vocatur. — *Asclepiodotum* de Diocletiano testem adhibet Vopisc. Aurelian. 44. — *Turduli Gallicani* de gestis Probi ephemeris Vopiscum in vita Probi plurimum iuvit. v. c. 2. — *Rufus Celsus*, *Ceion. Iulianus*, *Fabius Sosianus* de rebus Firmi auctores fuerunt. v. Vop. Firm. 2. — *M. Salvidienus* de Saturnino. v. c. 10. — *Q. Onesimus* Imp. Probi vitam scripserat, additis Caro et Carino. (v. Vopisc. Bonos. 14. Car. 7. Carin. 15.) — *Fab. Cerilianus* „tempora Cari, Carini et Numeriani sollertissime persecutus est." Vopisc. Car. 7. — *Aurel. Apolloninaris* „iamborum scriptor, qui Cari vitam in literas retulit." Vopisc. Numerian. 11. — *Fulv. Asprianus* „usque ad taedium gestorum Carini universa dixit." Vop. Carin. 16. — *Claud. Eusthenius*, qui Diocletiano ab epistolis fuit, Diocletiani et Maximiani, Galerii et Constantini vitas singulis libris scripsit. Vopisc. Carin. 17. —

Sext. Aurelii Victoris nomine plures libri inscripti sunt ad illius similitudinem facti, quorum tamen dicendi ratio et in re tractanda diversitas impediunt quominus uni possint assignari. Quibus vero auctoribus singuli debeantur, haud facilis disceptatio est. Ad nostram causam pertinent Sxt. Aur. Victoris *Caesares* ab Augusto usque ad Iulianum. Huius et Constantii tempore Victorem historicum fuisse, honoribus publicis ornatum, testis est Ammian. Marcellinus 21, 10. (add. ipsius auctoris c. 40. 41. 42.); deinde eiusdem Victoris auctoritate utitur Paulus Diac. gest. Longob. 2, 18. de Cottiis Alpibus locum afferens, qui legitur Caesar. c. 5. Continet hic liber brevem illarum vitarum descriptionem ex bonis auctoribus petitam, unde quae de Caesaribus memoratu dignissima putaret, satis prudenti consilio elegit, idem ob sermonis probam simplicitatem laudabilis.

Non disparem rationem iniit auctor *Epitomes* de vita et moribus Imperatorum Romanorum usque ad Theodosium. Assignatur vulgo hic libellus Victori cuidam Iuniori sive Victorino, quem Orosii tempore fuisse ferunt: sed codicum inscriptione male intellecta, quae nihil aliud significat, quam ex Victore in angustiores fines contractas esse has vitas (v. Arntzen. praef.). Sed quisquis in hoc opere ingenium suum exercuit, quamvis copiis bene instructus esset, tamen ab eo, quem potissimum sequitur, arte et eruditione longe distat. Victorem ita mutilavit, ut ex communi fonte utrumque scriptorem sua hausisse credere nequeamus; et quae aliunde, ut ex scriptt. Hist. Aug. et Eutropio petita agglutinat, loco suo interdum minime conveniunt, ut iudicio et diligentia eum

non nimis valuisse perspicuum sit. — Tertium librum prioribus fere adiunctum, qui est *de viris illustribus*, propter titulum atque argumenti similitudinem, codicibus non omnino impedientibus, alii Corn. Nepoti, alii Suetonio, alii aliis vindicare conati sunt. J. A. Fabricius Victoris esse credidit, eo solum argumento ductus, quod in nonnullis codd. pars historiae abbreviatae Victoris inscribitur. Fuerunt etiam, qui de Plinio minore cogitarent, accedente codicum quorundam auctoritate: multa enim in hoc libello ex Livio sumta et Plinius per otium Livii historias excerpens (ep. 6, 20.) optime convenire videbantur. At tantum abest, ut horum alicui vindicari debeat, ut sitne omnino veterum aetate conscriptus, merito ambigi possit. Nam his, quos modo nominavi, indignum esse et operis exilitas et sermonis genus luculenter demonstrant; adde quod ex Corn. Nepotis cognomine libro ea servata sunt, quae partim huic libello adversantur, partim desiderantur in eo. Ceterum neque hunc librum in vitarum numerum recte retuleris, sed sunt breves rerum memorabilium narrationes ex illustrium virorum vitis collectae, virtutum imprimis exempla, ut puerorum lectioni, iucundae sane et utili, auctorem inservire voluisse non temere suspicemur. Insunt a Proca, rege Albanorum, viri in Romanis maxime celebrati, usque ad Pompeium; quibus ex libris mss. primus Andr. Schottus alios addidit usque ad Antoninum et Cleopatram: plurima deprehendimus ex Livio hausta eo fere modo, quo J. Obsequens in opere suo versatus est, neque cautiore diligentia.

Claudant agmen *Panegyrici*, qui quamquam ab oratorio genere propius absunt, tamen et ipsi potentium memoriae scriptis suis consulere voluerunt: sed breviter hoc loco de iis admonuisse satis habeo. Licet igitur eorum lectio non sine multo tum abiectae adulationis, tum sermonis male speciosi fastidio institui possit, nonnihil tamen utilitatis praebent, quod in exaggeranda principum laude quum gloriose facta recensent, simul vel vitae actae imaginem adumbrant, vel ea memorant, quae non alio auctore cognita habemus. Hoc nomine neque Plinii panegyricus contemnendus est, nec Cl. Mamertini laudes Maximiniani et Diocletiani, nec Eumenii Paneg. Constantino Caesari recepta Britannia dictus; add. paneg. VIII. Constantino post Maxentii cladem a. Chr. 313 pronuntiatus; paneg. XI. Lat. Pacati Drepanii ad Theodosium Aug. a. 391 post reportatam de Maximo tyranno victoriam; cf. et Merobaudis praefat. in paneg. Aëtio consuli a. 446.

His iam monumentis in conspectu positis, postremo, quantum per fines concessos licet, pauca adiiciam de universa vitarum scribendarum arte, unde facilius intelligatur, quo discrimine a veteribus hodierni scriptores discedant ([1]). — Atque in summa historiae specie conformanda si quis a prima lege, ne quid falsi dicatur, ordiri velit, is veterum fidem certiorem existimare possit, quam recentiorum: siquidem dicuntur illi

([1]) De hac re Walchius Tac. Agr. XXXIII-LXXIV ita disputavit, ut, discentium utilitati minus consulens, aliorum errores acerbe confutare, quam de rei causis simpliciter et explicate disserere mallet.

F

non rationibus extrinsecus allatis facta accommodasse, sed factis ipsis referendis atque suo iudicio non interposito, hominum ingenia velut simulacra simpliciter expressisse, unde intuentibus libera aestimandi facultas ademta non foret, quum nunc scriptoribus id magis curae sit, ut explicati mores et ingenium quam apertissime repraesententur. Hanc vero differentiam in tam diversi aevi scriptoribus nonnunquam animadverti ita concedendum est, ut nihilominus a veteribus multa praeter veritatem de claris hominibus relata esse exemplorum confirmatione vix egeat. Quid enim fuisse dicamus, quod a communi mentis humanae vitio eos liberos praestaret, ut sinceram cuiusque rei veritatem et cognoscerent et cognitam profiteri vellent? Sunt autem variae causae, quae etiam invitum animum a simplici iudicii integritate abducere soleant. Quare si naturam et indolem alicuius expressam legimus, illius quoque ingenium diligenter examinandum putamus, qui alienae vitae testis extitit. Neque enim amori, neque odio fidem habemus, propius tamen pietati et amori veritatem coniunctam credentes. Plutarchus quidem, dum arti suae prospicit, hanc omnino legem sibi posuit, ut ne vitiorum commemorationi immoraretur: vitarum enim scriptori agendum esse ut bonis pictoribus, qui venustas imagines pingentes, si aliquid insit in iis levis vitii, neque praetereant id prorsus, neque undequaque exprimant: quippe hoc deformem, discrepantem illud reddere effigiem; quando autem arduum sit, vel fieri non possit, ut ullius hominis vita omni vacet macula, in honestis rebus veritati nihil detrahendum esse: illas vero, quae ex animi perturbatione aut ex temporis conditione oriantur offensae et vitia, claudicationes potius virtutis quam improbitates habendas esse; neque has nimium diligenter et ad amussim explicandas, sed tanquam cum pudore sortis humanae, quae nihil boni sincerum, neque mores ad virtutem edat inculpatos (¹). Ita Plutarchus, pius magis quam fidus virtutum interpres; neque priorem aetatem ab eiusmodi sententia abhorruisse, facile nobis persuademus: atque probamus eam in scribendo verecundiam, quae, antequam magnorum virorum virtus bene perspecta sit, eorundem errores referre dubitat; neque enim nostra interest scire, quid cum mortalium vulgo commune habuerint, sed quatenus sui generis ornamenta existimari debeant (²). At erunt semper Plutarchi similes, qui hac venia abusi summam aliquam humanae praestantiae speciem depingant, quae tamen veram certi hominis imaginem non referat.

Illis igitur et artis studio et integrae virtutis amore facile peccantibus, alii sive ingenii culpa sive inscitia verum tradere non potuerunt, alii noluerunt suae cupiditati servientes. Prout enim quisque gratia aut invidia ducebatur, ita memoriam aliquam aut in deterius detorquere aut multa laude auctam suis ac posteritati commendare non dubitabant, ipsi scilicet, quantum a veritate recederent, saepius passim sibi conscii. Non tamen idcirco illi probantur, nec summae integritatis fide digni sunt, qui ab omni om-

(¹) Plutarch. Cimon. 2. (²) cf. Niebuhr Briefe 2, p. 480.

nino studio animum tantopere vacuum servarunt, ut intermissa plane sua rerum aestimatione simpliciter referant quid a quoque acta aut acceperint aut viderint ipsi: Tacitus, qui incorruptam fidem pollicitus sine ira et studio, quorum causas procul habeat, se scripturum profitetur, tamen animum virtutis admiratione, odio vitiorum flagrantem libere aperit, idem infucatae veritatis exactor gravissimus. — Harum rationum diversitas, qua, quoniam una et sibi constans est humana natura, nulla unquam aetas plane caruit, ut propius inspiciatur, e multis exemplis, quorum copiam facit antiquitas, paucis ac summatim recensere iuvat unum idque satis illustre. *Tiberii* enim Caesaris vitam tribus potissimum Romanorum auctoribus cognoscimus, Velleio, Tacito, Suetonio ([1]). Et hunc quidem arte longe inferiorem esse duobus reliquis res adeo nota est, ut argumentis supersedere possim. Novit Suetonius Tacitum et multa ex eius libris atque iisdem saepe verbis in suum usum convertit, sed illius irae et studii, quibus Taciti animus vehementissime commovetur, prorsus expers, ieiunus ac paene frigidus veritati studuit quantum potuit: multa curiose collegit, sed quae tantum non valeant, ut ingeniorum constantia ex iis perspici possit; nihilominus cum Tacito adversarias contra Velleium partes obtinet. Hos autem quo iure nunc inter vitarum scriptores referam, is non quaeret, qui operis Velleiani extremam partem et Taciti annalium libros sex priores consideraverit. Etenim, quod supra iam attigi, ea est horum librorum natura, ut omnis ceterarum rerum commemoratio in eum solum finem instituta videatur, ut ipsius Tiberii vel merita laudesque illustrentur, vel ingenii recessus aperiantur: in qua re Tacitus ea subtilitate egit, quae ab accurata animi voluntatisque humanae investigatione proficiscitur, ita ut a diligentia cognitionis et morum depingendorum sollertia illis plurimum praeferendus sit: neque tamen Velleius arte caret, sed eam ad principis et aulicorum gratiam captandam ambitiose dirigit, ab illa quam in Tacito animadvertimus iudicii ac veritatis sollicitudine tam alienus, ut vel Suetonii securitatem excedat. Sed singulari artificio in rebus adornandis et apte connectendis usus est, ea cautione adhibita, ut quae rationibus suis minus expedirent, ea supprimeret; simul eruditionis liberalem speciem prae se fert cum illius aulae dignitate convenientem. Is igitur adulatoris dedecus in se admittere sustinuit, effusis laudibus eum prosecutus, cuius Tacitus saevam dominationem, atrocem animum, turpissimas libidines ostendit. Hanc discrepantiam in Tiberii rebus et consiliis paene omnibus cernere licet. Ac statim quem Rhodi specie secessus exulem egisse ex plurimorum opinione Tacitus narrat (Ann. 1, 4.), aliam „tam intimam" causam ei fuisse ipse negans, quam quod a Iulia sperneretur ut impar (1, 53.), Suetonio quoque inhonestiores profectionis causas suspicante (c. 10. 11. 13.), eundem Velleius (2, 99.) eo facto mirae cuiusdam, incredibilis, inenarrabilis pietatis exemplum edidisse censet, scilicet ne fulgor suus orientium iuvenum, Caii et Lucii, obstaret initiis: quod autem

([1]) Dionis Cassii de Tiberio iudicium ad Taciti sensum proxime accedit. cf. l. 57. init. l. 58, 28.

addit, illud otium honoratissimum fuisse, adversantur Tac. 1, 4. 2, 42. et Suet. 12. 13. Et in quo adoptando promtissimum Augusti animum fuisse refert Velleius (2, 103), eum precibus tandem uxoris evictum sibi ascivisse scribit Tacitus (4, 57), a quo non nimis recedere videtur Suetonius, si quis cum c. 21. 23 contulerit quae c. 51. 57 leguntur. Nam bellica negotia Tiberium strenue administrasse, quo nomine Augusto maxime se probaverat, neque Suetonius negat (18) neque Tacitus, nisi quod callidis consiliis eum quam vi et virtute uti maluisse docet, Velleio singularem in eo humanitatem agnoscente, cuius praecipua semper cura fuerit, ut sine ullo detrimento commissi exercitus rem gereret (2, 113. 114. 115. al.): atque praedicanti huic quam leniter et clementer in castris habuerit militem imperator (114) obloquuntur quae Suetonius (19) de disciplina acerrime exacta tradit. Sed vehementissime dissentiunt illi scriptores de universo Tiberii principatu et imperio civili. Nimirum Velleius eum utilia semper speciosis praetulisse et ante conscientiae quam famae consuluisse dicit: contra Tacitus passim, cuncta, etiam fortuita, ad gloriam eum vertisse affirmat, hominem semper in ostentationem compositum, cui non perinde curae fuerit gratia praesentium, quam in posteros ambitio. Impudentiam eius in simulanda animi voluntate compluribus locis Tacitus demonstrat, assentiente Suetonio (24): verbis eum in speciem adornatis, favorabili oratione vim imperii tenere, et quae animo sentiret, callide obtegere didicisse: seu natura sive assuetudine suspensa semper et obscura et solitis sibi ambagibus eum locutum esse, abstrusum, obstinatum, clausum, ne quo affectu perrumperetur, atque sub ipsum vitae finem iam corpus, iam vires, nondum dissimulationem eum deseruisse (1, 11. 3, 15. 22. 44. 6, 50). Artis autem et falsi quam breve confinium esset quum plurimi vel sentirent vel intelligerent, neque verborum comitate fidem faciebat civilis animi, nec donis et favore sincerae caritatis (1, 72): quippe iram in suspicaci animo eum premere, quam auctam deinde promeret (1, 7. 1, 69), multi experti erant. — In rep. administranda quanta sapientia et salubritate Tiberius egerit, magnificis verbis saepe laudat Velleius: per eum refulsisse certam spem salutis omnibus hominibus, quietis, pacis, tranquillitatis, adeo ut nec plus sperari potuerit, nec spei responderi felicius: et facere recte cives suos principem optimum faciendo docere, ac qui sit imperio maximus, eum exemplo maiorem esse. In eiusmodi laudibus impudenter cumulandis simplicissimam fidem simulat: neque enim iustum sine mendacio candorem apud bonos crimini esse (2, 103. 126. 116). Contra Tacitus, per quae sensim publicum odium contraxerit, multarum rerum exempla patefacit (Suet. 59. 60); etiam in iis, quae iuste atque in publicam salutem ageret, horridum ac plerumque formidatum (4, 7): at vero ludificatum patres et plebem, omnem civitatem servitute continuisse, eoque graviore, quo speciosiora libertatis simulacra praebuerit (1, 81. Suet. 30). Magna eius arte gravissimum exitium irrepsisse per delatores, saevitiae administros, per quos crimina ex silentio, ex voce reperta esse: neque cuiquam fidem abrogatam, sed quum delatorum maior et in dies infestior vis gras-

saretur, leges maiestatis atrocissime exercitas esse (1, 73. Suet. 61); hinc terrorem omnium animos invasisse, congressus, colloquia, notas ignotasque aures vitari, etiam muta atque inanima, tectum et parietes, circumspectari coepta. Praecipue autem post caedem Seiani in omne genus crudelitatis eum erupisse, nunquam deficiente materia (6, 38. Suet. 59. 61. 62): in necessarios et nobilissimum quemque continuis caedibus saevitum, civitatem ingentibus luctibus funestam fuisse, intercidisse sortis humanae commercium vi metus: quantum enim saevitia glisceret, miserationem prohibitam (6, 19); itaque promtas innocentium mortes, et optimos viros moriendi consilium cepisse, honestum finem habituros, dum integri, dum intentati essent (6, 26): quae tandem facinora atque flagitia ipsi quoque in supplicium versa (6, 6. Suet. 63. 64. 66. 67). — Verum ne quis iudicii iniquitatem in me reprehendat, quum Tacitum et Suetonium Velleio velut ex aequo opponam, quorum tamen illi universam vitam, hic priorem tantum eamque meliorem vitae partem complexus sit: sane negligendum non est, anno ante Seiani mortem Velleium scripsisse; at quintus is annus est, postquam Tiberius in Campaniam abiit Romam non rediturus, unde patet Velleium, etsi posterius tempus atrociora tulit, iam tum eam facinorum turpitudinem vidisse, quae integrum animum ab adulatione deterruisset. Suetonii librum Tiberii ex urbe excessus tanquam in duas partes diversas ita dividit, ut tamen dicat, principem tum a civitatis oculis remotum cuncta simul *vitia male diu dissimulata tandem profudisse* (42), et c. 61: „apparuit, non tam ipsum ab Seiano concitari solitum, quam Seianum quaerenti occasiones subministrasse." Tacitus autem malignitatis crimine certe non tenebitur, ut qui egregia Tiberii acta minime praetermittat (4, 6. 7), ac varias eius aetates in hunc modum describat (6, 51): „morum quoque tempora illi diversa: egregius vita famaque, quoad privatus vel in imperiis sub Augusto fuit; occultus ac subdolus fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Drusus superfuere; idem inter bona malaque mixtus incolumi matre; intestabilis, sed obtectis libidinibus dum Seianum dilexit timuitve: postremo in scelera simul ac dedecora prorupit, *postquam remoto pudore et metu suo tantum ingenio utebatur.* Et quanto intentum olim publicas ad curas, tanto mox occultos in luxus et malum otium fuisse resolutum (4, 67. 1, 54. Suet. 57. 27-29. 31-35). Hinc igitur intelligendum arbitror, Velleium adulatorum more et cupidissimo cum studio scripsisse; Tacitum honesta ira et reip. amore commotum, tamen quae vera res esset, diligenter inquisivisse; Suetonium simpliciter retulisse, quae memoratu digna putaret, simul Tacito veritatis testem: sed quominus hunc locum relinquam impediunt eorum sententiae, qui Velleii patrocinium susceperunt, quod haud raro accidere videmus, ubi quis in aliquem scriptorem curam suam operamque praecipuam confert. Nam Fr. Jacobsius praef. Vell. german. convers. p. XVIII: Velleium eam ait de Tiberio opinionem concepisse, quam eodem tempore multi Romani habuerint, et pacis illi amantes, nec omnia principis facinora sollicita suspi-

cione scrutantes ([1]). Iustior Ruhnkenii ratio fuerat adversus Heinsium et Perizonium in praef. Vell. disputantis. Is Velleium, quum in priore historiae parte tot liberi spiritus documenta dedisset, non gratiae captandae causa ad humilem et servilem adulationem se demisisse censet, sed, multorum exemplo, suspicacis domini metu compulsum. Verum aliunde Velleii defensio peti non potest, quam ex grati animi sensu, quem pro magnis beneficiis a Tiberio acceptis (2, 104) abunde testificari non dubitat: haec igitur voluntas quamdiu inter virtutes habebitur, invenerit ille, si non probationem, certe excusationem aliquam. Sicut Tacito et Suetonio vitiorum immanitas, quibus posterior principis vita foeda fuit, priores quoque annos ex parte quadam obscuravit, ita Velleius etiam deteriorem aetatem, quatenus persecutus est, ea luce illustravit, quae ex rerum antea bene actarum recordatione proficisci videbatur. Sed tamen immodice eum in „coelestissimorum Tiberii operum" laude exaggeranda ingenio suo indulgentem veritati illusisse negari non poterit. Novissime hanc rem docte et acute, ut solet, Fr. Kritzius tractavit (prolegg. nov. edit. Vellei. Erf. 1840): ex universa enim illius temporis conditione de scriptoris ingenio sincera iudicii aequitate disseruit, praeterquam quod et ipse adulationis invidiam removere studet, nimis angustos huius vocis terminos statuens, ita ut non tam de re, quam de nomine controversia restet. Velleium pravam aetatis suae consuetudinem secutum verum rebus pretium statuere et bonum a malo accurate dignoscere *non valuisse*, inscium igitur in Imperatoris vitiis famosi laudes abiisse dicit: adulatorem enim non esse, nisi qui veritatem de industria obscuret. At licet Velleium communi temporis sui morbo laborasse, ex eoque fonte nonnulla libri vitia fluxisse concedendum sit, mentis tamen idoneam aciem ei non defuisse, dummodo iudicii integritatem adhibere voluisset, operis quamvis festinati conformatio aperte docet. In Suetonium illud et magis etiam in scriptores Hist. Aug. convenit, non potuisse eos per ingenii mediocritatem tempori suo non servire. Neque Kritzius in sententia sua videtur perstare, quum Velleium naturae humanae vitio in hunc iudicii sive errorem *sive levitatem* incidisse dicit. Recte sine dubio: atqui levitas eius est, qui pravae animi voluntati, quum potest, resistere non vult.

Sed haec longius fortasse quam pro instituti ratione persecutus, ad propositum consilium revertor. — Quam igitur in singularis vitae memoria veritatem requiri ostendimus, ea ex universa temporis, populi, civitatis ratione repetenda erit, ut quae cum his communia et congruentia, quae sibi propria habeat ille unus planissime cognosci et distingui possit: ex aequalium enim communitate ita eximitur, ut tamen cognationem cum illis omnis eius vita habeat; sic eum frui videmus libertate sua, ut ex indiscreta

---

([1]) Quae iuvenis scripserat, etiamnunc senex tuetur, in suam rem vocatis qui de Tiberio lenius iudicaverunt, v. Jacobs Personalien. 1840. p. 48. 353. At salva verecundia hoc opposuerim, aliud esse Tiberium vindicare ab inveterata invidia, aliud talem eius laudatorem probare.

multitudine emergat, quamvis idem ex communi omnium necessitate minime sit exsolutus: sed intuentibus iucundissimum est illud intelligere, quatenus in propria natura fingenda aut adiutus fuerit saeculi sui ingenio eique obnoxius, aut novam viam ingressus, ei resistere ausus sit. Quae facta autem in cuncti populi historia certo discrimine non disiunguntur, sed cum aliis et similibus coniuncta, ut partes inferiores, ad eximium aliquem eventum contulisse perhibentur, iis in singularum vitarum aestimatione multo plus gravitatis est, quia non iam de aetate quaeritur, qua conditione usa sit, sed de uno, qualis fuerit, quid fecerit. Neque vero propterea minus nostra interest scire quid singulis acciderit et quomodo egerint, quod singuli prae totius populi rebus levioris momenti sint, aut quod forte natione vel aevo longe a nobis distent; nam ut nunc taceam de summorum hominum vi ad universi temporis sui rationes constituendas: efficitur quasi quodam naturae consensu, ut aliorum studiis et fortuna cognoscendis animum libentissime advertamus, utpote humani nihil a nobis alienum putantes, — utque quo accuratius aliorum vitam perspexerimus, eo magis ad humanitatis sensum animos erudire eoque certiore iudicio nostras ipsorum res aestimare nobis videamur. — Haec strictim: sed si recte disputata sunt, inde tres potissimum rationes proficiscuntur, ad quas, quoniam in unamquamque vitam cadunt, omnis vitarum conscriptio aptissime dirigitur. Ac prima quidem et amplissima est humanitas i. e. naturae humanae necessitudo; cui subiungitur velut orbis interior certae alicuius gentis et civitatis ratio: his autem duabus includitur id, quod ingenii cuiusque maxime proprium et peculiare est. Hae igitur tres rationes uti pulcherrimo concentu in eorum vita concordant, qui indolem suam recte et liberaliter conformare studuerunt, ita frequentissime usu venit, ut una praevaleat. Quae res maxime perspicitur, si quid veteres de earum singularum dignitate senserint cum nostrae aetatis iudicio comparatur. Siquidem nos tres illas rationes iuxta aestimare solemus, atque etiam diligentius inquirere, quantopere ad humanitatem exculta fuerit hominis natura, quam quomodo civitatis ac nationis suae ingenium moribus factisque retulerit. Contra veteres Romani reip. rationibus maxime intenti publicam vitae partem, qua quis patrium sensum agendo ostenderet, ante omnia exprimendam arbitrabantur, neque curabant fere vitae propria nisi ad remp. relata. Peridoneum exemplum Agricolae vita est, quamvis eo tempore conscripta, quum veteris reip. sensus in plerisque paene extinctus esset. G. J. Vossius Corn. Nepotis Atticum perfectum vitae scriptae exemplar proponit, longe minus aptum, si quis veterum artem et vitae publicae gravitatem noscere vult. Plutarchum quidem, virtutis illustrandae quam historiae studiosiorem atque vero antiquitatis sensu iam carentem, non miramur aliter egisse: ipse demonstrat, non semper clarissimas quasque res virtutes vel vitia repraesentare, sed exiguum subinde factum dictumque et iocum aliquem citius speciem edere morum, quam funestissima proelia, maximas acies et urbium expugnationes (vit. Alex. c. 1.). Ita vero quum ageret, simul illud neglexit, quo nihil magis necessarium est ad cognoscen-

dam hominis naturam: summam dico agendi rationem, qua omnis vitae consensio continetur, et unde velut ex principio suo omnium consiliorum causae repetendae sunt. Id quanti sit habendum, Tacitus optime docet: etenim universam Agricolae vitam uno conspectu intuemur, quoniam, summa illa animi indole patefacta, reliqua vita dramatis instar et velut innata constantiae lege decurrit. Hac arte qui carent, casus modo eventusque videntur referre, quos plerumque fortuitos haberi oportet, nisi ratio simul causaeque noscuntur (cf. Tac. hist. 1, 4): nec tam singularum rerum commemoratione doceri aut impelli potest animus ut erigat se, mores emendet vitaeque salubria consilia ineat, quam ea potius alienae vitae contemplatione, quae ad intimos animi recessus voluntatisque quasi fontes admittitur: hac demum excitatur humanae necessitudinis et communis naturae conscientia, quum singula fors regat et varia temporum conditio.

Sed in media via consistere cogor: reliquam enim institutae disputationis partem quominus hoc loco adiiciam, terminis impedior, qui huic libello constituti sunt.



Schulnachrichten
von Michaelis 1839 bis dahin 1840.

I. Allgemeine Übersicht des Lehrplans.

Name der Classe und des Ordinarius.	Gegenstände des Unterrichts.	Wöchentliche Stundenzahl.	Lehrer.
Prima.	1) **Latein.**		
Coetus I. Professor *Wiese*.	Coet. I. Cicero de off. I. II. und Terent. Heautont. - Taciti Agricola. Stylübungen . .	6	Prof. *Wiese*.
	Horatii Carm. lib. II. und III.	2	Dir. *Meineke*.
Coetus II. Professor *Passow*.	Coet. II. Cicero de orat. I. Terentii Hecyra. Im Sommer Cicero de offic. I. II. Stylübungen	6	Im W. Dr. *Bergk*, im S. Prof. *Mützell*.
	Horatii Carm. lib. II. und III.	2	Prof. *Passow*.
	2) **Griechisch.**		
	Coet. I. Sophoclis Antigone und Oedipus Tyr. Platonis Protagoras. Einige Bücher der Ilias	6	Dir. *Meineke*.
	Coet. II. Homeri Il. L. VIII-XIV. I-VI. Plat. Protagoras. Lycurgi orat. c. Leocr. Einige Idyllen des Theocrit	6	Prof. *Passow*.
	3) **Hebräisch.**		
	Grammatische Übungen; 1. Buch Samuelis, Cap. VIII-XXIV., Ausgewählte Psalmen.	2	Prof. *Snethlage*.
	4) **Deutsch.** Aufsätze und Übungen im freien Vortrage; Litteraturgeschichte	2	Im W. in Coet. I. Prof. *Wiese*, in Coet. II. Dr. *Bergk*. Im S. beide Coetus Prof. *Wiese*.
	5) **Französisch.**		
	Coet. I. und II. Ségur histoire de la guerre de Russie Livre IV-VIII. Exercitien, Ex-		

Name der Classe und des Ordinarius.	Gegenstände des Unterrichts.	Wöchentliche Stundenzahl.	Lehrer.
	temporalien und mündliche Übersetzungen aus Fränkel's Anthologie Curs. III	2	Prof. *Conrad.*
	6) Religion.		
	Coet. I. u. II. im Winter die christliche Glaubenslehre; im S. Kirchengeschichte .	2	Prof. *Wiese.*
	7) Philosophische Propädeutik.		
	Coet. I. u. II. Psychologie	2	Prof. *Wiese.*
	8) Geschichte.		
	Coet. I. und II. Im ersten Semester Schlufs der alten Geschichte, im zweiten neuere Geschichte bis 1648	2	Prof. *Koepke.*
	9) Mathematik.		
	Coet. I. und II. Im Winter: Combinationslehre, binomischer Lehrsatz, allgemeine Theorie der Gleichungen, numerische Gleichungen höherer Grade Im Sommer Coet. I. Analytische Geometrie Coet. II. Stereometrie	4	Prof. *Conrad.*
	10) Physik.		
	Coet. I. und II. Electricität, Magnetismus, mathematische Geographie	2	Prof. *Conrad.*
Ober-Secunda. Professor *Conrad.*	1) Latein. Stylübungen; Livii lib. XXV. und XXVII. Cicero pro Sextio u. pro Milone	7	Prof. *Pfund.*
	Virgilii Aen. lib. I-VII.	3	Prof. *Koepke.*
	2) Griechisch. Schreibeübungen; Homeri Odyss. lib. X-XIV. u. II-V. Herodoti lib. VII-IX.	6	Dr. *Lhardy.*
	3) Hebräisch. Formenlehre (Verba irregularia etc.) und Übersetzung aus Gesenius Lesebuch	2	Prof. *Pfund.*
	4) Deutsch. Aufsätze und Übungen im freien Vortrage	2	Prof. *Koepke.*
	5) Französisch. Handbuch von Ideler und Nolte. Schriftliche und mündliche Übersetzungen aus Fränkel's Anthologie Cursus II, Extemporalien	2	Prof. *Conrad.*
	6) Religion. Das Evangelium Johannis	2	Prof. *Pfund.*

Name der Classe und des Ordinarius.	Gegenstände des Unterrichts.	Wöchentliche Stundenzahl.	Lehrer.
	7) Geschichte. Das Mittelalter . . .	2	Prof. *Koepke.*
	8) Mathematik. Gleichungen des ersten und zweiten Grades, arithmetische und geometrische Reihen, Logarithmen und ihre Anwendung; ebene Trigonometrie	4	Prof. *Conrad.*
	9) Physik. Die allgemeinen Eigenschaften der Körper nach ihren verschiedenen Aggregatzuständen	2	Prof. *Conrad.*
Unter-Secunda. Prof. *Snethlage.*	1) Latein. Stylübungen, Grammatik, Cicero pro Roscio Amer.; in Catil.; pro Archia; pro lege Manilia. Livii Lib. II. und XXI. Virgil. Aen. I. u. II. Bucolica	10	Prof. *Snethlage.*
	2) Griechisch. Grammatik, Schreibeübungen, Xenoph. Anabasis VI. VII. I-III., Homeri Odyss. XXII-XXIV. I-IV.	6	Dr. *Lhardy.*
	3) Hebräisch. Die ersten Anfangsgründe nach Gesenius	2	Dr. *George.*
	4) Deutsch. Aufsätze, Übungen im mündlichen Vortrage, Lectüre und Erklärung deutscher Dramen	2	Prof. *Jacobs.*
	5) Französisch. Voltaire's Charles XII. V-VIII. Schriftliche und mündliche Übersetzungen aus Fränkel's Anthologie Cursus I. Extemporalien	2	Dr. *Lhardy.*
	6) Religion. Kurze Repetition des Katechismus, Erklärung der Gleichnisse Jesu und des Evangelii Matthaei. Erklärung der Apostelgeschichte	2	Prof. *Snethlage.*
	7) Geschichte. Römische Geschichte	2	Prof. *Koepke.*
	8) Geographie. Europa, Afrika, Amerika, Australien	2	Prof. *Koepke.*
	9) Mathematik. Im W.: Geometrie nach Fischer's Lehrbuch Bd. I., Abschn. XI-XVI. 3 St. Repet. des arithm. Pensums 1 St. Im Sommer: Buchstabenrechnung und Potenzenlehre nach Fischer's Lehrbuch Bd. II., Abschn. VII-XIII. 3 St. Repetition des geometr. Pensums 1 St.	4	Prof. *Jacobs.*

Name der Classe und des Ordinarius.	Gegenstände des Unterrichts.	Wöchentliche Stundenzahl.	Lehrer.
Ober-Tertia. Coetus I. Adjunct *Giesebrecht.* Coetus II. Adjunct *Tischer.*	1) Latein. Stylübungen, Grammatik, Curtius und Ovidii Metamorphoses	10	Die Ordinarien.
	2) Griechisch. Grammatik, schriftliche Übungen, Passovii eclogae	6	Im I. Coetus Prof. *Passow*, im II. Coetus im W. Prof. *Mützell*, im S. d. Ordin.
	3) Deutsch. Aufsätze und Übungen im Deklamiren	2	Im I. Coet. der Ordinarius, im II. Coet. im W. der Ord., im S. Cd. *Gerhardt.*
	4) Französisch. Grammatik, Schreibeübungen, Fénélons Télémaque	2	Im I. Coetus Dr. *Schmidt*, im II. Coet. der Ordinarius.
	5) Religion. Erklärung des Evang. Lucae u. der Apostelgesch., Wiederholung der christl. Glaubens- und Sittenlehre nach bibl. Sprüchen, und Auswendiglernen einiger Lieder	2	In beiden Coet. Prof. *Pfund.*
	6) Geschichte. Im Winter griechische, im Sommer deutsche Geschichte . . .	2	Im I. Coet. der Ordinarius; im II. Coet. im W. Dr. *Bergk*, im S. Cd. *Gerhardt.*
	7) Geographie. Die aufsereuropäischen Länder	2	Im I. Coetus Dr. *Schmidt*; im II. Coet. im W. Dr. *Bergk*, im S. Cd. *Gerhardt.*
	8) Mathematik. Im Winter: Arithmetik nach Fischer's Lehrbuch Bd. II. Abschn. I-VI. 3 St. Rep. des geometr. Pensums 1 St. Im Sommer: Geometrie nach Fischer's Lehrbuch Bd. I. Abschn. V-X. 2 St. Repetition des arithm. Pensums 2 St.	4	In beiden Coet. Prof. *Jacobs.*
Unter-Tertia. Adjunct *Brenske.*	1) Latein. Grammatik, Stylübungen, J. Caesaris b. G. und Ovidii Metamorphoses	10	Der Ordinarius.
	2) Griechisch. Grammatik, Schreibeübungen, die Progymnasmata von Passow .	6	Cand. Dr. *Franke.*
	3) Deutsch. Aufsätze und Übungen im Deklamiren	2	Der Ordinarius.

Name der Classe und des Ordinarius.	Gegenstände des Unterrichts.	Wöchentliche Stundenzahl.	Lehrer.
	4) Französisch. Grammatik, Schreibeübungen, Florian's Guil. Tell	2	Cand. Dr. *Franke.*
	5) Religion. Das Leben Jesu	2	Der Ordinarius.
	6) Geschichte. Im Winter Brandenb.-Preufsische Gesch., im Sommer Röm. Gesch.	2	Prof. *Wiese.*
	7) Geographie. Allgemeine Geogr. von Europa und specielle von Deutschland und dem Preufs. Staat nach dem Leitfaden von Voigt	2	Prof. *Wiese.*
	8) Mathematik. Geometrie nach Fischer's Lehrbuch Bd. I. Abschn. I-V. 3 Stund. Übungen im Rechnen 1 St.	4	Prof. *Jacobs.*
Quarta. Adjunct *Schmidt.*	1) Latein. Formenlehre, Syntax, O. Schulz Aufgaben, Corn. Nepos	10	Der Ordinarius.
	2) Griechisch. Die ersten Elemente, die erste und zweite Deklination, die Verba pura auf ω	4	Der Ordinarius.
	3) Deutsch. Aufsätze, Grammatik, Lese-, Sprech- und Deklamations-Übungen	2	Sem. *Fittbogen.*
	4) Französisch. Grammatik u. Schreibeübungen	2	Mit den Schülern d. 3. Singclasse der Ordin., mit d. Schülern d. 1. und 2. Singclasse Sem. *Fittbogen.*
	5) Religion. Biblische Geschichte, Kenntnifs der biblischen Bücher, Psalmen .	2	Sem. *Fittbogen.*
	6) Geschichte. Abrifs der alten und mittlern Geschichte . . . . 7) Geographie. Übersicht aller Länder	2	Im Winter Geschr. Adj. *Koepke*, Geogr. Semin. *Fittbogen*; im S. beides Adj. *Koepke.*
	8) Practisches Rechnen. Repetition des Cursus der Quinta, regula de tri mit Brüchen, einfache Zinsrechnung, Berechnung des Agio, Kopfrechnen	2	Insp. *Knoepfler.*
	9) Zeichnen und Schreiben	4	Lehrer *Markwordt.*
	10) Gesang	2	Musiklehr. *von Tengnagel.*

Name der Classe und des Ordinarius.	Gegenstände des Unterrichts.	Wöchentliche Stundenzahl.	Lehrer.
Quinta. Inspector *Knoepfler.*	1) Latein. Grammatik, O. Schulz Aufgaben, Blume's Elementarbuch, Corn. Nepos	10	Im W. Cand. *Roeper*, im S. Adj. *Koepke.*
	2) Deutsch. Orthographie, kleine Aufsätze, Briefe u. s. w., Sprech- und Leseübungen, Deklamation	2	Insp. *Knoepfler.*
	3) Französisch. Die ersten Elemente	2	Im W. Sem. *Goepel*, im S. Sem. *Fittbogen.*
	4) Religion. Biblische Geschichte; Luthers Katechismus, Sprüche und Liederverse	2	Insp. *Knoepfler.*
	5) Geographie. Das Allerwissenswertheste	2	Insp. *Knoepfler.*
	6) Rechnen. Die 4 einfachen Rechnungsarten mit Brüchen, regula de tri mit ganzen Zahlen, Kopfrechnen	4	Insp. *Knoepfler.*
	7) Zeichnen und Schreiben	4	Lehrer *Markwordt.*
	8) Gesang	2	Musiklehrer *von Tengnagel.*

Anmerkung. Den Unterricht im Zeichnen (bei den Lehrern *Markwordt*, *Brügner* und Professor *Schmidt*) so wie den im Gesang (bei den Musik-Directoren Dr. *Hahn* und *von Tengnagel*) und im Schönschreiben (bei dem Lehrer *Markwordt*) erhielten die daran theilnehmenden Schüler der fünf oberen Classen aufser der gewöhnlichen Schulzeit. Dasselbe gilt von dem englischen und italienischen Unterricht, welcher den Schülern der Prima und Ober-Secunda von den Professoren *von Seymour* und *Fabrucci* ertheilt wurde.

II. Chronik des Gymnasiums.

A. Lehrer.

Kurz vor Beginn dieses Schuljahres wurde der Schulamtscandidat Herr Schmidt zum Adjunctus und ordentlichen Lehrer ernannt. — Zu Michaelis v. J. trat der Schulamtscandidat Hr. Dr. Franke sein pädagogisches Probejahr an. — Ebenso zu Ostern d. J. der Schulamtscandidat Hr. Gerhardt. — Zu derselben Zeit schied der Seminarist Hr. Göpel aus. — Aufserdem haben im Lehrerpersonale die Veränderungen stattgefunden, dafs zu Ostern d. J. der Adjunct Herr Dr. Bergk an das Gymnasium zu Cassel, und der Schulamtscandidat Herr Roeper an das Gymnasium zu Danzig versetzt worden sind. Die durch den Abgang des Hrn. Bergk erledigte Adjunctur wurde dem Schulamtscandidaten Hrn. Rudolph Koepke übertragen. — Der bisherige Oberlehrer Hr. Jacobs wurde zum Professor ernannt.

B. Schüler.

Die Anstalt wurde im Winter-Semester von 284, im Sommer-Semester von 291 Schülern besucht, von welchen 39 in Prima, 38 in Ober-Secunda, 34 in Unter-Secunda, 58 in Ober-Tertia, 47 in Unter-Tertia, 38 in Quarta, 37 in Quinta safsen. Durch den Tod verloren wir einen hoffnungsvollen Schüler, den Obertertianer Max Briesen. Abgegangen sind in dem verwichenen Schuljahre 83, aufgenommen 90. Unter den Abgegangenen sind 20, welche theils zu Michaelis v. J., theils zu Ostern d. J. mit dem Zeugnisse der Reife zur Universität entlassen worden sind.

I. Zu Michaelis vorigen Jahres:

1) C. W. Mehler, aus Friedeberg, 19 Jahr alt. Er war 5 $\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus und 2 Jahr in Prima. Er studirt Jura in Berlin. — 2) J. Meyer, aus Berlin, 19 Jahr alt. Er war 7 Jahr Hospes und 2 Jahr in Prima. Er studirt Medicin in Bonn. — 3) C. J. Ploetz, aus Berlin, 20 Jahr alt. Er war 1$\frac{1}{2}$ Jahr Hospes, 7 Jahr Alumnus und 2 Jahr in Prima. Er studirt Philosophie in Berlin. — 4) B. H. v. Sanden, aus Neuendorf bei Stolpe, 19 Jahr alt. Er war 4$\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus und 2 Jahr in Prima. Er studirt Jura und Cameralia in Berlin. — 5) L. A. E. Moser, aus Berlin, 20 Jahr alt. Er war 8 Jahr Hospes und 2 Jahr in Prima. Er studirt Medicin in Berlin. — 6) H. C. F. v. Lebbin, aus Trampe bei Soldin, 20 Jahr alt. Er war 7 Jahr Schüler, 5 Jahr Alumnus und 1$\frac{1}{2}$ Jahr in Prima. Er studirt Oeconomie und Jura in Berlin.

II. Zu Ostern dieses Jahres.

1) M. Meyer, aus Berlin, 18 Jahr alt. Er war 8 Jahr Hospes und 2 Jahr in Prima. Er studirt Medicin in Berlin und Heidelberg. — 2) C. Bommert, aus Kreuzbruch bei Liebenwalde, 20 Jahr alt. Er war $\frac{1}{2}$ Jahr Hospes, 6$\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus und 2 Jahr in Prima. Er studirt Theologie in Berlin. — 3) R. Bollmann, aus Berlin, 19$\frac{1}{2}$ Jahr alt. Er war 8 Jahr Hospes und 2 Jahr in Prima. Er studirt Philologie in Berlin und Bonn. — 4) L. Pomtow, aus Berlin, 20 Jahr alt. Er war 8$\frac{1}{4}$ Jahr Hospes und 2 Jahr in Prima. Er studirt Naturwissenschaften in Berlin. — 5) C. Netter, aus Crossen, 18$\frac{3}{4}$ Jahr alt. Er war 3 Jahr Alumnus und 2 Jahr in Prima. Er studirt Jura und Cameralia in Berlin und Halle. — 6) G. Hientzsch, aus Neuzelle, 18$\frac{1}{2}$ Jahr alt. Er war 3 Jahr Alumnus und 2 Jahr in Prima. Er studirt Jura und Cameralia in Berlin und Breslau. — 7) H. Boettger, aus Potsdam, 19 Jahr alt. Er war 6 Jahr Hospes und 2 Jahr in Prima. Er studirt Jura und Cameralia in Berlin und Heidelberg. — 8) T. Weber, aus Berlin, 17$\frac{1}{2}$ Jahr alt. Er war 1 Jahr Hospes und ebensolange in Prima. Er studirt Theologie und Philologie in Berlin. — 9) A. Wolff, aus Neustrelitz, 22 Jahr alt. Er war 1 Jahr Hospes und ebensolange in Prima. Er studirt Theologie in Berlin. — 10) O. Haustein, aus Ruhland, 19$\frac{1}{2}$ Jahr alt. Er war 2$\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus und 1$\frac{1}{2}$ Jahr in Prima. Er studirt Theologie in Berlin. — 11) H. Kempe, aus Dramburg, 18 Jahr alt. Er war 2$\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus und 1$\frac{1}{2}$ Jahr in Prima. Er studirt Philologie in Berlin. — 12) H. Siefart, aus Berlin, 20 Jahr alt. Er war 10 Jahr Hospes und 1$\frac{1}{2}$ Jahr in Prima. Er studirt Medicin in Berlin, Bonn und Halle. — 13) F. Guenther, aus Berlin, 20 Jahr alt. Er war 10 Jahr Hospes und 1$\frac{1}{2}$ Jahr in Prima. Er widmet sich der Landwirthschaft. — 14) P. Jaerschky, aus Deutmannsdorf, 20 Jahr alt. Er war 2$\frac{1}{2}$ Jahr Hospes und 1$\frac{1}{2}$ Jahr in Prima. Er studirt Medicin in Berlin und Breslau.

III. Zu Michaelis dieses Jahres werden entlassen:

1) I. F. G. Bode, aus Templin, $20\frac{1}{2}$ Jahr alt. Er war $\frac{1}{2}$ Jahr Hospes, 6 Jahr Alumnus und 2 Jahr in Prima. Er will Philologie und Theologie in Berlin studiren. — 2) W. T. H. Mettke, aus Crossen, $20\frac{1}{2}$ Jahr alt. Er war 1 Jahr Hospes, $5\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus und 2 Jahr in Prima. Er will Theologie in Berlin studiren. — 3) W. C. H. F. Tiemann, aus Warburg, 20 Jahr alt. Er war 6 Jahr Alumnus und 2 Jahr in Prima. Er will Theologie in Berlin studiren. — 4) C. H. Berg, aus Oderberg U. M., 21 Jahr alt. Er war $7\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus und 2 Jahr in Prima. Er will Theologie und Philologie in Halle und Berlin studiren. — 5) L. F. W. Sauber, aus Perleberg, $20\frac{1}{2}$ Jahr alt. Er war $6\frac{1}{2}$ Jahr Schüler, 6 Jahr Alumnus und 2 Jahr in Prima. Er will Theologie in Berlin studiren. — 6) A. S. Walter, aus Joachimsthal, 20 Jahr alt. Er war $6\frac{1}{2}$ Jahr Alumnus und 2 Jahr in Prima. Er will Theologie in Berlin studiren. — 7) J. F. H. Unverdrofs, aus Parmen U. M., 21 Jahr alt. Er war 6 Jahr Alumnus und 2 Jahr in Prima. Er will Theologie in Berlin studiren.

C. Anderweitiges.

Das Reformationsfest der Mark Brandenburg wurde am 1sten Nov. v. J. durch eine Feierlichkeit in der Anstalt, und Vertheilung der von dem Hochlöbl. Magistrate geschenkten Erinnerungsmedaillen, am 2ten Nov. durch Gottesdienst in der Domkirche begangen.

Auch das Jubiläum der Thronbesteigung Friedrichs des Grofsen feierte die Anstalt am 1sten Jun. d. J. durch Rede und Gesang.

Die Trauer, welche bald darauf der Tod des hochseligen Königs über das ganze Land brachte, fand vor Allem auch in unserer Anstalt ihren Ausdruck in feierlichen Ansprachen an die Zöglinge.

Am 20sten September begingen die Lehrer und Alumnen der Anstalt gemeinschaftlich die Feier des heiligen Abendmahls.

III. Lehrapparat.

1) Die Bibliothek erhielt aus dem étatsmäfsigen Fond einen beträchtlichen Zuwachs von werthvollen Werken.

Überdiefs erhielten wir theils durch die preiswürdige Liberalität Eines Hohen Ministeriums der G. U. und M. Angelegenheiten, theils von andern Gönnern und Freunden der Anstalt folgende Werke als Geschenke:

Abbildung zur dreihundertjährigen Jubelfeier der Reformations-Einführung in die Mark Brandenburg von Silber (vom Herrn Verf.). — Geschichte der Erd- und Länderabbildungen der Alten von Reinganum (vom Hrn. Verf.). — Darlegung der Hauptresultate aus den wegen der revolutionären Complotte der neueren Zeit in Deutschland geführten Untersuchungen (vom Königl. Schulcollegium). — v. Siebold's Nippon, nebst den Abbildungen dazu, 7-8tes Heft (vom Königl. Ministerium). — Kortmann's Wandkarte von Europa in 16 Bl. (vom Königl. Schulcolleg.) — Lepsius Zwei sprachvergleichende Abhandlungen (von

Hrn. Ziegler). — Gelbke's Ritterorden und Ehrenzeichen etc. Xten Heft (vom Königl. Ministerium). — Encyclopäd. Wörterbuch der medicin. Wissenschaften, 21-23ster Bd. (vom Königl. Ministerium). — Lüdde Geschichte der Erdkunde (vom Hrn. Verf.). — Fasti Horatiani ed. Franke (vom Hrn. Verf.). — Fragmenta Comicorum graecorum ed. Meineke Vol. II. (vom Verf.). — Von den Besitzern der Vossischen Buchhandlung, den Herren Schramm und Schindelmeifser, ehemaligen Schülern der Anstalt: Eduard Elfen von Ehrenr. Eichholz, 2 Bde. — Brasilien, von Tietz. — Eine Fahrt nach Helgoland, von Schmidt. — Beiträge zur Etymologie und vergleichenden Gramm. der Hauptsprachen des Indogerman. Stammes von Alb. Höfer, 1. Bd. — Ferd. v. Wrangel's Reise längs der Nordküste von Sibirien und auf dem Eismeere in d. J. 1820 bis 1824, herausgeg. von K. Ritter, 2 Thl. — Studien und Kritiken zur Theologie und Philosophie von Dr. Frauenstaedt. — Lehrbuch der Englischen Sprache von Dr. Fölsing. — Schulausgabe Shakspearscher Dramen, von Demselben, 2 Bde. — Heinrich Fremond. Psycholog. Bild des Priesters von Jul. Le Baume. A. d. Franz.

Für diese Gaben den gebührenden Dank auszusprechen ist mir angenehme Pflicht.

2) Der physikalische Apparat ist durch ein Mikroskop von Schiek mit Schraubenmikrometer, eine Windlade mit Blasebalg und 8 verschiedenen Orgelpfeifen, durch einen Lichtbeugungsapparat nach Schwerd und durch mehrere kleinere Gegenstände vermehrt worden.

IV. Verordnungen des Königl. Schulcollegiums.

Vom 12. Oct. v. J. Empfehlung der Schrift „die Preufsischen Universitäten von Koch". — Vom 7. Nov. Die Schüler, die sich den Universitäts-Studien widmen, sollen gewarnt werden vor allzufrühem Abgang vom Gymnasium. — Vom 9. Nov. Strenge in der Aufnahme solcher Schüler, die von andern Anstalten excludirt sind. — Vom 12. Nov. Die Sommerferien sollen auf den hiesigen Gymnasien zu derselben Zeit gehalten werden. — Vom 3. Dec. Empfehlung der Schrift des Dr. Deinhardt über den propädeutisch-philosophischen Unterricht auf Gymnasien. — Vom 6. Nov. Den Schülern der Gymnasien sollen Besuche von Gasthöfen, Conditoreien u. s. w. auf das allerstrengste untersagt werden.

V. Die diesjährige Prüfung

wird Mittwoch den 30. September in nachstehender Ordnung gehalten werden.

Vormittags von 8½ Uhr an:

Gesang der ersten Singclasse. Ober-Tertia Coet. I: Latein (Hr. Adj. Giesebrecht). Coet. I und II: Mathematik (Hr. Prof. Jacobs). Coet. II: Griechisch (Hr. Adj. Tischer). Unter-Secunda: Latein (Hr. Prof. Snethlage) und Geschichte (Hr. Prof. Koepke). Deutsche Rede des Abiturienten Bode. Ober-Secunda: Mathematik (Hr. Prof. Conrad) und Griechisch (Hr. Dr. Lhardy). Lateinische Rede des Abiturienten Walter. Prima Coet. II: Griechisch

(Hr. Prof. Passow). Coet. I: Latein (Dir. Meineke). Entlassung der Abiturienten. Vertheilung der Prämien. Gesang der Alumnen.

Nachmittags von 2½ Uhr an:

Quinta: Geographie (Hr. Insp. Knoepfler) und Latein (Hr. Adj. Koepke). Quarta: Latein (Hr. Adj. Schmidt) und Geschichte (Hr. Adj. Koepke). Unter-Tertia: Griechisch (Hr. Cand. Dr. Franke) und Mathematik (Hr. Prof. Jacobs). Vertheilung der Prämien.

Zur geneigten Theilnahme an dieser Schulfeier habe ich die Ehre Seine Excellenz den Wirklichen Geheimen Rath und Ober-Präsidenten der Provinz Brandenburg Herrn von Bassewitz, den Wirklichen Geheimen Ober-Regierungs-Rath und Director im Geistlichen und Unterrichts-Ministerium Herrn von Ladenberg, so wie sämmtliche Herren Räthe des Hohen Ministerii, den Vice-Präsidenten des Königl. Consistorii und Provinzial-Schul-Collegii Herrn Weil, so wie sämmtliche Herren Räthe des Königl. Consistorii und Schul-Collegii der Provinz Brandenburg, ingleichen alle Gönner und Freunde des öffentlichen Schulwesens ehrerbietigst und ergebenst einzuladen.

Der neue Lehrcursus beginnt mit dem 16. October. Zur Prüfung und Aufnahme neuer Schüler bin ich während der Ferien täglich, mit Ausnahme der Sonntage, von 9-12 Uhr zu sprechen.

Dr. Meineke,
Director.





